

2. 7. 197

DE USU ET NECESSITATE ELOQUENTIÆ

IN REBUS SACRIS TRACTANDIS.

Dissertatio

Habita in Archigymnasio Romanæ Sapientiæ

A FR. ALEXANDRO BURGOS
Siculo Messanensi

Ordinis Minorum Conventualium Theologo, & publico Eloquentiæ professore.





ROMÆ MDCCX.
Excudebat FRANCISCUS GONZAGA in via Lata.
SUPERIORUM FACULTATE.



CLEMENTI XI.

PONTIFICI MAXIMO.

FRATER ALEXANDER BURGOS.



FFICII mei multis de caussis erat, CLEMENS Pater Sanctissime, ut Tibi brevem hanc non tam laudationem, quam defensionem veræ solidæque Eloquentiæ inscriberem; qua

a qui-

quidem ſeſe adverſus quorumdam male feriatorum calumnias, falſasque opiniones politiores literæ tuo ſub auſpicio tuerentur. Unam tamen & alteram nunc tetigiſſe ſit ſatis: etenim hujus noſtræ Diſſertationis, tota quanta eſt, eo præcipue collineat induſtria, ut & artis ſplendidiſſimæ atque mirabilis, ad conciliandos movendosque animos factæ, & humaniorum literarum politiſſima ſtudia, e ſede ſua quorumdam ſive tarditate ingenii, ſive animi ſocordia, aut malevolentia deturbata, ad res ſacras veterum Theologorum more pertractandas poſtliminio revocentur. Quod quidem & plenius & perfectius me aſſequi poſſe confido, ſi quæ a me virilis ſanctæque Eloquentiæ præcepta doctorum hominum teſtimonio firmata traduntur, ea Tu probes maxime, quem & ſummum rerum ſacrarum Antiſtitem, & facundiſſimum ac diſertiſſimum Eloquentiæ Præſidem jure ac merito appellare poſſumus. Tu enim, Pater Beatiſſime, ab

ineun-

ineunte ætate bonis artibus, ac Græcis latinisque literis probe imbutus, ad summi Sacerdotii fastigium evectus nihil antiquius habuisti, quam, ut veterem illam pene intermissam priscorum Pontificum, copiosam scilicet sublimemque Eloquentiam ab sacris divinarum Scripturarum fontibus derivatam mirifice renovares. Quare magnificum illud gravissimumque dicendi genus rerum divinarum majestati scite respondens, quod ego hac disputatione pro mea virili, a sacris præsertim oratoribus usurpandum prædico e celeberrima Romanæ Sapientiæ specula, in qua (quæ tua beneficentia fuit) me veluti Eloquentiæ præconem stare voluisti; illud inquam ex te uno discere possunt omnes, qui se divinarum, humanarumque literarum amatores profitentur. Utinam sacri nostri oratores, orthodoxique Theologi, exemplum, quod præ oculis habent in facundissimis tuis lucubrationibus, quas Tu de rebus præstantissi-

 mis,

mis, atque de altissimis religionis Christianæ mysteriis tam præclare, tam eleganter instituis, fideliter ipsi exprimant aliquando! Jam profecto apud omnes in pretio erit pudica illa & sobria atque optimi succi plena Eloquentia, cujus, ut ille ait, *insignis est indoles in verbis verum amare, non verba*. Jam detractis meretriciis calamistris, ac rejectis nugacibus ornamentis, quibus hactenus per summam quorundam scitulorum amentiam non jam ornari, sed deturpari visa est, grandi gravique passu incedet Eloquentia, pristino suo nitori ac majestati restituta. En igitur, Pater Sanctissime, quod primum in caussa fuit cur Tibi disputationem hanc meam de necessitate atque usu Eloquentiæ, humaniorumque literarum in addiscendis tradendisque rebus sacris, inscriptam voluerim: ut nimirum divinæ Eloquentiæ præceptis, quæ Deo auspice, res sacras pertractaturis tradere cogito, summum, omnique ex parte perfectum exemplar, quod in Te

uno

uno mirifice elucere video, copularem: indicaremque omnibus ad ſacram Eloquentiam properantibus quod imitatione complecti debeant: quod ſi probe effecerint, multum in ſacro dicendi genere ſe profeciſſe noverint. *Facilius* enim, inquit Magnus Aurelius Auguſtinus *adhæret Eloquentia audientibus eloquentes, quam Eloquentiæ præcepta ſectantibus*. Acceſſit autem & altera cauſſa cur Tibi Diſſertationem hanc ſiſterem, Pater Sancte: quæ quidem me, volentem tamen, penitus impulit, ut primum ingenioli mei fœtum, in Romana Academia a me productum, qualecumque illud fuerit, nomini tuo dicarem. Ea eſt a paterna tua munificentia accepti beneficii ratio, quæ a me jure quodam ſuo requirit, ut quam maximi beneficii memc .m aliqua ſaltem grati animi ſignificatione teſtatam velim. Quod quidem hoc pacto faciam, (aliter enim nequeo) ut quidquid fecerim, tuo ſemper nomini ſit devotum. Servet Te diu incolumen Deus

Opti-

Optimus Maximus, Pater Beatissime, ut post horum temporum acerbitatem, & acrius ad ulciscendas religionis injurias, & vehementius incumbere possis ad fidei incrementum, ad Christianæ Reipublicæ utilitatem, ad bonarum artium præsidium, atque ornamentum.

F A C U L T A S

Reverendiſſimi Patris Generalis Ordinis Minorum Sancti Franciſci Conventualium.

C*Um diſſertationem* De uſu & neceſſitate Eloquentiæ in rebus ſacris tractandis, *habitam in Archigymnaſio Romanæ Sapientiæ a P. Magiſtro Alexandro Burgos Meſſanenſi ſacræ Congregationis Indicis Conſultore, & in eodem Archigymnaſio publico Eloquentiæ profeſſore, duo noſtri Ordinis Sacræ Theologiæ Magiſtri, quibus id commiſimus, recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint; facultatem concedimus, ut typis mandetur, ſi ita jis, ad quos ſpectat, videbitur. Datum Romæ die* 18. *Novembris* 1709.

Fr. B. Angelus Carucci Miniſter Generalis.

Fr. Daniel Montarini Secretarius & Aſſiſtens Ordinis.

Locus ✝ ſigilli.

IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro sacri Palatii Apostolici.

Dominicus de Zaulis Archiep. Theodosiæ Vicesg.

Jussu Reverendissimi P. Paulini Bernardinii S.P.Ap.Mag. legi dissertationem, cui titulus De necessitate, atque usu Eloquentiæ, humaniorumque literarum in addiscendis, tradendisque rebus sacris *a R. A. P. Fr. Alexandro Burgos S.T.M. Ord. S. Francisci Min. Conv., ac in Archigymnasio Romanæ Sapientiæ publico Eloquentiæ professore conscriptam. In ea nihil legi, quod fidei orthodoxæ, probatisque moribus adversetur. Romæ kal. Decembris* M DCC IX.

Ita censeo ego Fr. Thomas Maria Minorelli Ord:Præd.

Dissertationem Rev. admodum Patris Fr. Alexandri Burgos Min. Conv. quæ inscribitur De usu & necessitate Eloquentiæ in rebus sacris pertractandis *quum jussu Reverendissimi Patris Paulini Bernardinii sacri Palatii Apostolici Magistri diligenter perlegerim, in eaque nihil offenderim, quod a Catholica fide bonisque moribus abhorreat, multaque immo viderim, quæ sacrarum literarum studiosis utilitatis plurimum sint allatura; idcirco si ad quos pertinet, ita videbitur, eam typis dignam censeo. Ex ædibus Columnensibus* IV. *Non. Decembris* M DCC IX.

Joannes Vignolius.

IMPRIMATUR,

Fr. Joannes Baptista Carus Magister, & Reverendissimi P. Paulini Bernardinii sacri Apostolici Pal. Mag. Socius Ord. Præd.

DE

DE USU, ET NECESSITATE
ELOQUENTIÆ
IN REBUS SACRIS TRACTANDIS.



DISSERTATIO.



NEMO vestrum, Auditores, aut eorum, qui vim Eloquentiæ sentiunt, usumque cognoscunt, mirari profecto poterit, me, qui tot annos in Scholis Theologorum assidue sim versatus, nunc subito, mutato consilio, ad humaniorum Literarum castra remigrare, atque ita Eloquentiæ causam agere, quasi veteris meæ consuetudinis oblitus omnino fuissem; & non jam disputatoris subtilis, sed copiosi oratoris nomen mihi adsciscere studiose contenderem.

Nostis enim, viri eruditi, cum *omnes artes*, ut ille ait, *quæ ad humanitatem pertinent, habeant quoddam commune vinculum, & quasi cognatione quadam inter se contineantur*, nostis inquam, quanta sit cum bonis quibuscunque artibus, ac sacris præsertim studiis Eloquentiæ, humaniorumque literarum mirifica sane, singularisque consensio. Nostis quanta ha-

ctenus fuerit, eritque semper Eloquentiam inter & sapientiam indivulsa societas; quantumque ex mitioribus hisce studiis maximæ quæque res capiant adjumenti. Quare si hac de re tantummodo vobiscum agendum foret, jam me ab omni prorsus præfandi onere in hoc dicendi limine liberatum esse sentirem. Facile enim, etiam tacentibus nobis, apud eos, qui justum rebus singulis pretium statuere solent, Eloquentia seipsa defenderet: jusque suum non injuria ad res sacras pertractandas se extendere posse nullo negotio demonstraret. Verum cum non dubitem fore plerosque præposteros quidem, ineptosque judices, qui leve hoc argumentum & non satis dignum viro Theologo judicent; quique putent perversa, falsaque opinione decepti, quæ apud vulgus inolevit, impleri posse numeris omnibus Theologici muneris dignitatem, vix delibatis primis grammaticæ rudimentis; iis vero literis penitus neglectis, quæ eruditionis nomine a veteribus, humanioresque appellantur; operæ pretium me facturum arbitror, Auditores, si in hoc primo dicendi aditu, morosos hosce Eloquentiæ reprehensores, osoresque humaniorum literarum probe commoneam, evellamque radicitus, quantum potero, male eorum mentibus adhærescentem falsam hanc opinionem, qua Theologiæ studia, spreto penitus humaniorum literarum, atque Eloquentiæ subsidio, perfici posse contendunt.

Quod si ex illorum numero ji sint, qui, ut Tullii verbis utar, *ad quamcumque sunt opinionem, quasi tempestate delati, ad eam tamquam ad saxum adhærescunt*; ac proinde & ad bonam mentem redire, & male

male conceptum ſemel errorem ſibi exuere noluerint; non propterea operam omnem hac noſtra adverſus eos diſputatione nos luſiſſe arbitramur. Etenim mihi pro veritate dicenti, laboris atque induſtriæ, qualis qualis illa fuerit, maximus, uberrimusque fructus conſtabit, ſi ab hac opinione retrahere penitus atque abducere conabor animos adoleſcentum, qui ad ſacrarum literarum ſtudia non ſegniter accedunt: illorum præſertim, in quibus magna nunc ſpes inſtaurandæ Theologiæ ſecundum pulcherrima, nitidiſſimaque exempla veterum Patrum, eſt collocata. Quare ad explicandam rationem ſententiæ meæ ita paratus ingredior, Auditores, ut excuſſa funditus vulgari, quam modo dixi, quorumdam opinione, graviſſimum de hac re doctiſſimorum virorum judicium probem maxime, quo ſtatutum, atque decretum eſt,

Neminem rerum divinarum, ſolertem, copioſum, dilucidum, omnique ex parte perfectum diſputatorem absque literarum humaniorum & Eloquentiæ adminiculo pro dignitate futurum: adeo, ut quanta ſit in rebus ſacris tractandis humaniorum literarum utilitas, atque neceſſitas, ac qualis etiam, quantusque eſſe oporteat in hiſce ſtudiis veræ ſolidæque Eloquentiæ verecundus, ut ita dicam, ac nativus uſus, omnibus, qui ad ſacras diſciplinas animum intendunt, clarius innoteſcet. Quod quidem non dubito, quin vobis, atque omnibus, qui ſacrarum amatores ſe profitentur literarum, jucundum, pergratumque videatur; cum præclara illa ſtudia, quibus doctiſſimi Eccleſiæ Patres ac Theologiæ Parentes res ſacras olim illuſtrarunt,

runt, in memoriam revocet; atque ea ob oculos ponat, quæ viri omnium eloquentissimi, sanctissimique senserint, de omni, sacra illa quidem, ac Theologo digna ratione dicendi.

Illud vero in primis positum velim, Auditores, quod in decursu orationis magis, atque magis intelligetur, non illum scilicet, nos hic in medium constituere Theologum, qui soli divinarum rerum contemplationi addictus, sibi tantum, ac Musis intra siparium canere statuerit; sed qui ad obeunda Ecclesiæ munia vocatus, communi populorum utilitati inserviat; qui & rudibus mysteria fidei explanet; qui & adversus heterodoxos religionis dogmata propugnet; qui & res in Ecclesia gestas vel literis mandet ipse, vel ab aliis mandatas explicet, ac singula venerandæ antiquitatis rudera diligenter evoluat, qui & in scholarum pulvere ad sacra studia Adolescentes exerceat: quique tandem magna sibi rerum ubertate, ac quasi silva dicendi ex Sacrarum Scripturarum fontibus, ex Sanctorum Patrum scriptis, atque ex reliquis solidarum rationum momentis copiosius deducta, gravi simul, ac jucunda, inflammataque oratione seu vitia reprehendat, seu commendet virtutes, ita dicat, ut hominum cætus dicendo teneat, mentes alliciat, voluntates impellat quo velit, unde autem velit deducat. Hunc sane Theologum, quem modo dixi, ab omnibus humaniorum literarum subsidiis instructum volumus, & jure quidem optimo volumus eloquentem; sed antequam singula percurramus unum generatim dicam, quo tota quanta est, quasi solidissimo fundamento nostra inædificari posse videtur oratio.

Duo-

Duobus profecto oratione & ratione cæteris nos præstare animantibus apud omnes in confesso est, Auditores. Eo igitur tota quanta est in addiscendis, tradendisque disciplinis humanæ mentis acies collineare debet, ut quæ percipit, recta ratione percipiat, & de jis, quæ sunt scientia, & cognitione comprehensa, si cum ceteris oratione communicare contendit, recta itidem oratione communicet. At quî id unquam recte efficere poterit, quisquis ille erit, cujusvis doctrinæ, sive indagator, sive præceptor, qui fuerit ab humaniorum literarum præsidio destitutus? Constat enim neminem sine istis elementaribus, ut vocant, rudimentis, ac sine rectæ Eloquentiæ præcognitione, atque usu, quæ facem præbeant ad intelligentiam scriptorum illorum, qui scientiarum præcepta his literis, his dicendi modis memoriæ prodiderunt, plenam ac perfectam earumdem scientiarum notitiam consequi posse. Neminem item posse genuinum germanumque præceptorum sensum eruere; nisi verborum ille vim, ac linguæ, qua scripta sunt, indolem, ac genium, stilique proprietates apprime calluerit. Nam quot videmus, qui secus faciunt, ac festinato cursu ad scientiarum penetralia cruda adhuc studia afferunt, humanioribus literis vix leviter tinctos, fœdissime labi, atque in teterrimas immanesque foveas imprudentes incidere? Res siquidem (ut ex Tullio clarissimus Vossius in præfatione, Aristarcho suo præfixa monet opportune) in singularum disciplinarum assecutione ita se habet, quemadmodum in agris, quos proscindi opus multo ante, quam conserantur: aut cum lanis, quæ antequam

quam purpuram imbibant, prius sufficiuntur medicamentis quibusdam. Oportet igitur humanitatis, atque Eloquentiæ præexercitamentis primas aliarum scientiarum lineas ducere, jisque ante excoli animos, & ad virilem sapientiam concipiendam imbui, ac præparari.

Quod si mandare literis, aut verbis explanare velimus quæ mente percepta sunt, summarum disciplinarum cogitata; dicant quæso, dicant isti superciliosi humaniorum literarum contemptores, qui puerilia hæc, & vulgaria autumant, dicant quonam unquam pacto id explanare, non dico jam diligenter, non plene, non copiose, sed vel tenuiter poterunt absque verborum delectu, absque propriis dicendi formulis, absque apta verborum junctura, absque recta argumentorum dispositione, sine vi, sine nervis, sine proba, ac pudica venustate elocutionis.

Heus! homines, sapientum judicio aberrantes, & vestro sapientes, si quid vobis scribendum occurrat, si quid in concione virorum doctorum memoriter pronunciandum; ut hæret vobis aqua! ut pueriliter reptatis! ut omnia susque deque versatis! Sed linquamus istos *infantissimos*, ut Tullius inquit, *dialecticos, jeunosque disputatores*. Nos authoritati doctorum hominum, quæ nobiscum facit, assensionem adjungamus, putemusque firmiter, (omnes enim cum Vossio sic habemus persuasum,) eos, *qui sepientiæ, & literarum humaniorum divortium faciunt, nunquam ad solidam sapientiam perventuros: eos vero, qui alios a literarum hujusmodi, linguarumque studio absterrent, non antiquæ sapientiæ, sed novæ opinionis*

Docto-

doctores babendos esse. innumera enim sunt commoda, quæ ex mitiori literatura, atque Eloquentia ad ingenuarum artium, scientiarumque studia redundant. Quæ vero si non adessent, adsunt autem quamplurima; non minimi certè facienda est incorrupta quædam ratio recte judicandi, quam quidem ex solido humaniorum literarum contubernio reliquarum facultatum sectatores haurire solent: quæque in omnes scientiarum omnium, ut ita dicam, artus, quasi firmæ valetudinis color quidam occulte pervadit, seseque diffundit: quæ & distincte, & distribute, & eleganter, & ornate scribere docet: qua denique fit, ut quæ inter se nexa & jugata esse debent, recte juncta dicamus, & recte: illudque æquabile dicendi genus sequamur, quod & complectatur verbis, quod vult, & plane dicat, quod omnes intelligant. Et sane ut statim manifesto indicio prodit, bonam habere mentem scriptor eruditus, ac prudens, qui clare, qui perspicue, qui nitide explicat, quod explicandum est! Ut illum habere, quod verbis exprimere vix possumus, optimi saporis gustum, quandam scilicet ingenium inter & judicium perfectam harmoniam, atque consensum: Quæ duæ res valde difficiles, ac raro inter se coeuntes; ubi quandoque in unum coalescere visæ sunt, mirabiles illos, egregiosque Magistros pepererunt, in omni doctrinarum genere facile Principes, qui scriptiones suas æternitati consecrarunt. Horum itaque inhærendum vestigiis, Auditores, atque eorumdem exemplo frequens sit humaniorum literarum usus cum rerum gravissimarum pondere conjunctus; frequens cum scriptis dissertissimorum

morum virorum, qui veram ſapientiam veræ Eloquentiæ lumine veſtierunt, familiaritas; frequensque commercium. Nam hujus rei cauſa nobis eveniet, quod olim ſibi Romanæ Eloquentiæ Parens ex hujusmodi optimorum librorum lectione eveniſſe teſtatur: ut nimirum, ſicut quum in ſole ambulamus, etiamſi aliam ob cauſam ambulemus, fieri tamen natura ſolet, ut colorem, caloremque aliquem induamus, ſic quum diſertos, doctosque libros ſtudioſius legerimus, orationem noſtram, illorum luce quodammodo inflammari, & quaſi colorari ſentiamus. Et hæc quidem eſt, quæ ad omnes diſciplinas bene, copioſeque tractandas ex humaniorum literarum uſu egregia illa quidem ac magna promanat utilitas. Nunc vero preſſius ad rem noſtram veniamus; quantaque ſit in rebus Theologicis hujuſce adminiculi neceſſitas atque uſus, invicte probemus. Etenim animo vos tenere arbitror, quod ego initio dicendi, non ſatis tamen explicatum recenſui, Auditores, principem ſcilicet locum inter Theologi munera illud ſibi jure optimo vindicare, quo vires ſuas omnes ipſe exerit, ut illorum pervicaciam, qui a mendacio ſtant, atque antiqua Chriſtianæ Religionis dogmata convellere, novaque ſuperinducere audent, probe retundat; unde a priſcis accepta Patribus orthodoxæ fidei ſtatuta confirmet. Hujus rei gratia ſcholaſtico in pulvere umbratiles pugnas conſerit, & ſtrenue deſudat, ut nimirum probatis in palæſtra viribus, in apertum inde campum exertis lacertis deſcendat, deque veritatis hoſtibus palmam tandem aliquando reportet. Propterea ſic fingi, formarique debet Theologus, atque jis
præ-

præsidiis instructum esse oportet, ut veritatis assertorem ac vindicem decet, qui ita veritatis causam acute simul & nervose agat, atque jis utatur armis, ut persuadeat, ut vincat. Jam vero hæc petenda sunt, tanquam ex quodam sibi parato armamentario, ex Sacris Scripturis, ex Apostolicis divinisque traditionibus, quæ Sanctorum Patrum, & Conciliorum decretis continentur. Verum quo pacto unquam poterit armorum hujusmodi vim intrinsecus pernoscere? Scripturarum, Conciliorum, Patrum sensa, involuta illa quidem aliquando, & non satis explicata penitus introspicere, ac funditus penetrare quo pacto unquam poterit? Quo pacto unquam poterit ex his ea seligere, quæ ad rem faciunt, ordine suo scite collocare, communes argumentorum locos virili manu tractare quomodo poterit, nisi ipsi præluceat, semitamque sternat humaniorum literarum, ac sublimis, masculæque Eloquntiæ non levis, & perfunctoria, sed profunda, sed bene subacta cognitio? Exemplo hujusce argumenti energiam illustremus. Occurrat aliqua de Sacræ Scripturæ interpretatione perdifficilis & perobscura quæstio, ac variis difficultatibus implicata. Novatores, qui hoc in negocio pessime falsi sunt, quum se a veritate destitutos plane sentiunt, sentiunt autem se plurimum valere in linguarum peritia, Græcis, Ebraicis, Latinisque literis probe imbuti atque instructi, rem totam Theologicam ad Grammaticorum tricas callide redigant, atque solius distortæ, pravæque rationis ductu, Sacræ Scripturæ authoritatem, aliter, atque Ecclesia Catholica, interpretentur. Quid his reponet Theologus linguarum,

humanarumque literarum plane rudis? Næ causa sua, etsi optima illa sit, cadet: næ fasces Heterodoxis submittet: næ ludibrio apud eos erit, qui his strophis vim veritatis eludunt. Nescio quonam malo fato, Auditores, sive, ut castigatius loquar, Dei Optimi Maximi permissione factum est, ut qui adversus Ecclesiæ arcem perduellionis signa audacius extulere; ji pene omnes bonis artibus imbuti, quibus humanitatis studia comprehenduntur, & doctarum linguarum cognitione, & universæ propemodum profanæ eruditionis gloria florere visi sunt! Id fortasse accidit, aut ego fallor, ut superba eorum audacia & confidentia, quæ semper fuit hæreticorum indoles, intumescentis naturæ viribus in criminis pœnam relicta, de inani sibi foliorum strepitu blandiretur, & fructum omnem veritatis amitteret: contra vero veluti a somno excitata scholarum Catholicarum socordia pristinam sacrorum studiorum rationem, pene intermissam, ardentius instauraret. Hinc renata in Ecclesia Tridentini Concilii authoritate Græcæ, Ebraicæque linguæ studia! Hinc humaniorum, divinarumque literarum copiosa supellex tota se liberaliter explicuit. Hinc grandis illa & suis compacta nervis Sanctorum Patrum facundia postliminio revocata. Hinc tandem, quasi rigido adversantium attritu acriter perfricta, scabritie ac rubigine posita, sacræ Theologiæ arma omni ex parte perpolita novum vivacioremque colorem induerunt. Quæ quidem tot, tantosque radios inde emiserunt, ut jis perstricta inimicorum acies obtusa penitus atque tenebris obruta videretur. Ne igitur bene constitutum a majoribus Theologicum
agmen

agmen ignavia nostra dissipemus; ne acceptum a peritissimis Theologicæ militiæ ducibus adversus hæreticorum copias dimicandi morem probatissimum corrumpamus, humanioribus literis majorum exemplo sacræ Theologiæ arma perpolienda sunt. Hinc studiis linguarum latinæ, & græcæ præsertim, atque Eloquentiæ, universæque eruditionis subsidio arx summa Theologiæ communienda est, eo ferme more, quem summis ingeniis, exquisitaque doctrina præditi Sancti Ecclesiæ Patres secuti sunt. Non enim haberemus Maximum in exponendis Sacris Scripturis Doctorem Hieronymum, nisi ille Romæ adolescens in his liberalibus disciplinis a Donato, & ab aliis viris doctissimis fuisset multo ante eruditus. Non summi Theologi cognomento Nazianzenus Gregorius; non Magni Doctoris titulo Basilius in Ecclesia inclaruissent, nisi uterque Athenis sæcularibus literis instructi ad explicandos Sacræ Scripturæ libros verius, & uberius præ aliis accessissent. Quam ob rem hortor omnes vehementer, qui sacris literis nomen cum utilitate daturi sunt, ut hujusmodi adjumentis, quæ ab linguarum peritia, atque ab universa bonarum artium coagmentatione ducuntur, magnopere suffulti, heterodoxis, ac veritatis hostibus eripiant arma; eaque perferant in Ecclesiæ castra; summo studio, atque industria perpoliant, bonumque in usum convertant. Et profecto convertent, si hisce studiis utantur non ad inanem pompam, sed ad præclaras res nitide, decenterque explicandas, ad investigandos Scripturæ sensus, ad ejusque testimonia roboranda, atque ad veritatem Catholicam forti brachio defendendam. Hæc

 enim

enim humanitatis ſtudia in eo genere ponimus, ut ea ſacrarum ſcientiarum non baſes, ſed ad eas apte percipiendas, tradendasque veluti inſtrumenta quædam perquam neceſſaria eſſe noſcamus. Quibus ſane & dogmatum veritas recta methodo traditur, & argumenta ſingula ſuo loco rite diſponuntur: & rationum vis, atque efficacitas in bono lumine collocatur. Accedet & aliud commodi genus minime contemnendum. Horum ſcilicet ſtudiorum beneficio fucatas hæreticorum ratiunculas, qui vaferrime humaniorum literarum artificio abutuntur, & ſubtiliter pervadimus, & fortiter eneruamus. Sed de hoc ſatis.

Proximus eſt Theologicorum argumentorum locus ex Sanctorum Patrum authoritate derivatus. Accipite ergo aliam ex hoc loco humaniorum literarum, atque Eloquentiæ non minus perſpicuam neceſſitatem, quam ne cogitans quidem, ſtatim quisquis animadvertat. Quoniam eo tandem deducta eſt à Novatoribus Theologicorum dogmatum præcipua tractatio, ut qui ſanioris apud eos judicii ſunt, Sanctorum Patrum, eorum ſaltem, qui primis Eccleſiæ ſæculis floruerunt, authoritatem, non omnino quidem reſpuant, tranſverſum tamen abducant, atque diſtorqueant: in hanc maxime curam incumbere debet Theologus, ut diurna, nocturnaque manu verſet eorumdem Patrum ſcripta: genuina a ſpuriis ſecernat, aſſutas a falſariis lacinias, interpolationesque diſtinguat; de ſtilo judicet; & hæc non temere quidem, ſed recte, ac religiose peragat: illorum ſenſa integre, atque explorate percipiat; eaque a nobis adverſus veteres, novasque corruptelas liquidiſſi-

diſſime ſtare demonſtret: ſimul & hæreticis oſtendat, nullum novitiis eorum commentis a Patrum teſtimoniis eſſe præſidium.

Cum verò felicia illa, fœcundaque ingenia omni doctrinarum genere exculta ſublimem, divinamque explicent ſacrarum rerum tractationem cum lautiſſima eruditionis univerſæ ſupellectile conjunctam, nemo ad præclaros illos cæleſtis ſapientiæ fontes ſumma labia admovere poterit, qui prius, quæ ſunt a mitioribus hiſce ſtudiis ſuppeditata adjumenta, altius imbiberit, & conſtanti animo retinuerit. Quî enim fieri poteſt, ut e Patrum lucubrationibus germanas expediat ſententias, qui græcæ, latinæque linguæ genium non aſſecutus fuerit; qui vocum proprietates, qui uſitatas illis temporibus dicendi formulas non expedite pernoverit! qui methodum tractandi, qui Eloquentiæ vim, totamque argumentorum texturam non perviderit? Ecquis, amabo vos, Principes illos e Græcis Patribus, ut reliquos prætercam, Clementem Alexandrinum, Origenem, Athanaſium, Baſilium, utrumque Gregorium, & Nazianzi & Nyſſæ Epiſcopum, probe unquam intelliget ſine Eloquentiæ, & linguarum adminiculo? E latinis vero, (ut de Ambroſio taceam, cujus dictio plane Romana, ſed preſſa aliquantulum nec ſatis aperta) quis Tertullianum in Apologetico præſertim, quis Arnobium, quis Minucium, quis Cyprianum ita funditus mente comprehenderit, ut eorum ſenſus explicet aliquando plane involutos, niſi hujuſmodi Patrum & dialectum, quæ Græcis idiotiſmis fere ſcatet, qualem omnes ſciunt ut plurimum fuiſſe Africanorum Patrum, & in-

& insolentem eorum phrasim diligentissime tenuerit? Scio nonnullos mire turbare, & permiscuisse omnia, ubi apud Cyprianum quid sit *formam dari*, *&* *formam innotescere*, nunquam potuerunt satis habere perspectum. Quid autem sit apud eumdem Cyprianum, *exhibere se*, *exhiberi*, *habere exhibitionem*, ita absurde intellexit nuperus quidam sarcinator, ut a germana hujus dictionis significatione, antiquis jurisconsultis alias familiaris, toto sane aberraverit Cœlo, pessimeque lapsus sit, propterea ab eruditis turpiter & merito irrisus. Nunquam ergo (hi nobis errores documento sint) ad Patrum lectionem præcociter & illotis, ut ajunt, manibus accedamus, Auditores. Bonarum artium studia impeditam alioquin Theologiæ Patrum viam multo ante consternant, atque expeditam complanent. Sæpe enim Patres & Scriptores rerum Theologicarum, authorum profanorum sententias laudant; sæpe ad mores, ad instituta, ad usus Ethnicorum, atque ad alia id genus, ad illorum temporum disciplinam spectantia alludunt; quæ quidem absque subsidio humaniorum literarum nunquam intelligas. Neque aliorum oculis semper omnino fidendum, Auditores, neque Patrum dicta ab aliis laudata absque proprii judicii pensitatione laudanda sunt: aliter enim sæpenumero de locis authorum statuas, si seorsum hac illac divulsa & sparsa legantur: aliter si apud authores ipsos antecedentium & consequentium ratione habitâ expendentur. Porro ut clarius innotescat quantum hoc in negocio Theologorum intersit in Patrum scriptis hospites non esse & peregrinos, sed literarum humaniorum,

atque Eloquentiæ beneficio ea optime callere, quæ Patres literis mandata reliquerunt, unum addam ſedula profectò animadverſione digniſſimum. Joannes Dallæus hæreſis Calvinianæ in Gallia ſectator, eruditionis inter ſuos minime contemnendæ, ut erat, ſi quis alius, vir non hebetis ingenii, & in veterum lectione verſatus; callide pervidit, quam fortiter Sanctorum Patrum auctoritas novitias ſuorum gregalium opinationes labefactaret. Edidit propterea librum *de recto uſu Patrum*, ut ſibi blanditur, inſcriptum, Gallicè primum, deinde latinitate donatum. Quo quidem libro, eò nervos omnes intendit homo vaferrimus, ut in dirimendis quæ de fide orthodoxa in dies oriuntur, controverſiis, jus omne a Sanctis Patribus penitus, atque penitus abjudicaret. Quibus vero armis id ſe confeciſſe gloriatur, audite: ***Patrum***, inquit ipſe, (ſtatim a limine in argumentorum ſynopſi.) ***Patrum maxime primi, ſecundi, & tertii ſæculi pauca ſcripta habemus. Quæ verò habemus illius ætatis ſcripta, de rebus alieniſſimis ab hodiernis controverſiis agunt. Scripta, quæ Patrum nomen præferunt, eorum revera non ſunt omnia, ſed pleraque ſeu olim, ſeu poſtremis ſæculis conficta: Genuina Patrum ſcripta multis in locis, tempore, imperitia, fraude vel pia, vel maligna, antiquis & poſtremis ſæculis adulterata fuerunt. Difficile eſt Patrum ſcripta intelligere tum propter linguas*** (hæc, quæſo attentius animadvertite) ***tum propter linguas & idiomata, quibus utuntur, tum propter rerum explicandarum variis plerumque rhetorices figuris & ornamentis, dialecticæque aculeis & argutiis, &*** ***bujus-***

bujusmodi artibus obscuratam, & impeditam rationem, tum quod vocabula ut plurimum longe alio, quam qui nunc in usu est, sensu usurpent. Tandem quantumlibet diserte posita sententia in Patris alicujus scripto occurrat, non possumus ideo statuere ipsum in ea fuisse; cum sæpe aliena a mente sua scripserint Patres, seu aliorum sententias suppresso nomine referant (quod frequenter in Commentariis faciunt) seu in disputationibus cum adversariis: quo in Scriptorum genere aliud dicere, aliud sentire sibi licere autumant, seu quid sentiant, dispensatione aliqua dissimulent, ut in Homiliis, quo ad captum quorumdam auditorum se accommodent. Hæc ille & similia magno Eloquentiæ apparatu amplificat & coacervat. Refutarunt sane hujus audacissimi hominis strophas & quidem probe, nonnulli erga Patrum venerandam canitiem obsequentiores, ex iis etiam, qui cetera cum Dallæi erroribus adversus Romanam Ecclesiam consensere: quos inter principem locum tenet, ut mea fert opinio, Georgius Bullus Anglicanæ (utinam Romanæ) Ecclesiæ presbyter doctissimus. Sed quî potuissent, nisi & linguarum & Eloquentiæ & Critices & universæ propemodum eruditionis copia, adjumenta suppeditasset! At nos, ad quos maxime attinet hujusmodi mendaciorum struem funditus evertere, muti erimus? Elingues erimus, Auditores? Similes ne erimus obscuri nominis Theologo cuidam, qui e scholarum angustiis nunquam egressus, audito nuper *disciplinæ arcani* vocabulo, (ea est, ut bene norunt eruditi, provida quædam disciplina non prodendi in Ethnicorum & Ca-

the-

thecumenorum vulgus aperte Sacramentorum Myſteria) audito, inquam, hujus *diſciplinæ arcani* vocabulo, tanquam viſa Gorgone perterritus hæſit & obriguit. Similes ne erimus alteri ejusdem notæ Theologo, qui, facta ab erudito viro de *tribus* famoſis *Capitulis* mentione, & quid, inquit, malum, *trium Capitulorum* nomen ſignificat? Enim vero impares erimus (equidem ego ita exiſtimo) ad ſubdola iſta argumenta ſub fallaci Eloquentiæ & eruditionis larva in ſcenam prodeuntia, ſi artis criticæ regulas ignorabimus; ſi ab Eloquentiæ artificio, & humaniorum literarum notitia erimus deſtituti. Secus autem rem eventuram certo certius fore confidimus, ſi ad Theologicas meditationes humaniorum literarum ſupellex acceſſerit: quibus & quænam ſint genuina Patrum ſcripta, & quinam apud illos Eloquentiæ uſus, & quænam argumentandi, & refellendi methodus, & quinam ſcribendi ſcopus & occaſio, quæve tandem ipſi veluti Traditionis teſtes affirment, quæve repudient, luce meridiana clarius demonſtrabimus. Id vero muneris egregio ſcribendi genere & ad rem apprime facto exequemur, quoties nervoſa ſimul & ſucci optimi plena Eloquentia noſtrarum partium momenta (quæ diſertiſſimis novatorum mendaciis appoſite reſpondeant) condiemus. Scite enim Auguſtinus in quarto libro eorum, quos de Doctrina Chriſtiana inſcripſit, ſacræ, divinæque Eloquentiæ uſum contra hujusmodi hoſtes Theologo doctori non minus eleganter, quam argute commendat. *Nam quis audeat dicere*, inquit ipſe, *adverſus mendacium in defenſoribus ſuis inermem debere conſiſtere veritatem*,

tem, ut videlicet illi, qui res falsas persuadere conantur, noverint auditorem, vel benevolum, vel intentum, vel docilem proœmio facere, isti autem non noverint? Illi falsa breviter, aperte, verosimiliter: & isti vera sic narrent, ut audire tædeat, intelligere non pateat, credere postremo non libeat? Illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, asserant falsitatem; isti nec vera defendere, nec falsa valeant refutare? Illi animos audientium in errorem moventes, impellentesque dicendo terreant, contristent, exhilarent, exhortentur ardenter. Isti pro veritate lenti, frigidique dormitent? Quis ita desipiat, ut hoc sapiat? Hactenus more suo præclarè magnus & Theologiæ, & Eloquentiæ magister Augustinus.

Quæ cum ita sint, author sum ego vobis, Adolescentes optimi, quibus Ecclesiæ gloria & Theologiæ dignitas cara est, ut animo hujusce rei magnitudine comprehensa, in id studii tempus aliquod insumere & humanioribus literis sedulam locare operam satagatis. Nemo enim, non mea quidem, sed virorum doctorum sententia, Theologus esse poterit omni laude cumulatus, nisi fuerit omnium rerum, quas ante dixi, ac bonarum artium scientiam consecutus.

Sed ecce tibi è transverso nonnullos, quibus hæc studia frigescunt, nescio quid indignabundos oggannire, & mihi succensere vehementer. Quid ita? inquiunt. Anne Regina scientiarum Theologia ad minutas grammaticorum tricas, ad rhetorum compedes redigenda erit, ut non nisi comptula, & verborum pigmentis illita in medium procedere audeat? Altioris pro-

profecto; ac liberioris indolis illa est, ut se in angustum dicendi genus cogi, adstringique patiatur; ut syllabas numeret, ut periodos quadret, rotundetque: fructus illa amat, floresque habet suos; alienis non indiget ab ociosis declamatoribus putide conquisitis. Indecorum ac minime congruum, pudicam matronam meretricio fuco deturpare. Mellitos verborum globulos exquirere, dicta quasi papavere, & sesamo sparsa virum Theologum consectari, atque iis gravissimas rerum divinarum sententias aspergere, & incrustare, quam ridiculum, quam turpe erit? Bene est, bene est, Auditores. Lupum, ut in proverbio est, aure tenemus. Ipsi profecto se jugulant suismet armis, qui talia effutiunt, atque optimæ causæ favent, dum illi putant se adversari. Ecquis unquam sanus, o boni, ipsa reclamante materia, talem cogitavit obtrudere ad res Theologicas pertractandas, qualem vos fingitis, Eloquentiam? Equidem juratus affirmo, vos nunquam ne de facie quidem quæ sit vera Eloquentia cognovisse. Attendite quæso, quam falsi estis, ac quanto in errore versamini. Atque illud in primis memoria recolendum est, firmiterque tenendum, Eloquentiam scilicet, quam in Theologo requirimus, masculam illam esse oportere & robustam: non calamistris inustam, non effæminatam; sed quæ rerum sublimissimarum naturam & majestatem scite consequatur, & exprimat. Nolumus enim, ut omissis rectissimis ac solidissimis studiis, quæ Theologiæ fundamenta sunt, consumat omnem operam Theologus in rhetorum exercitationibus, quod Oratoris officium est; nec, ut ejus omnis in

dicendi ſtudio occupetur induſtria. Non fuſum illud, ac circumductum dicendi genus, Tullianæ Eloquentiæ proprium, non ardentes, inflammatosque Demoſthenis ſpiritus ubivis intempeſtive ſectari debet. Neque nimis anxie periodicam illam, & ad lancem perpenſam numeroſam periodorum rationem, qualem fuiſſe conſtat Iſocratis, in ea præſertim ad Athenienſes habita Panegyri, quam alii decem, alii quindecim annis elaboratam eſſe, memoriæ prodiderunt. Ratio enim ipſa, atque ipſamet vera Eloquentia nunquam a rectæ rationis ductu nec latum unguem abſcedens, in hanc potiſſimum nos ſententiam ducit, ut rerum divinarum majeſtatem adſciticio, exquiſitoque ornatu nullo modo veſtiamus. Id unum Eloquentia, & ratio Eloquentiæ magiſtra, cum Theologos humanioribus literis inſtructos volunt, appoſite præcipiunt, & ſane jure ſuo præcipiunt, ut nimirum & idiomatum gloſſemata, & dicendi formulas, & peculiares authorum ſacrorum phraſes internoſcamus: ne cæce ac temere de ſententiis eorumdem aliter, atque judicandum erit, judicium ſine judicio proferamus; ne inſcitiam noſtram prodamus: ne ab Adverſariis, harum literarum callentiſſimis turpiter irrideamur. Quod ſi mentis noſtræ cogitationes de rebus Theologicis explicare aliis velimus: id dictat Eloquentia, quod & ratio dictat, ut acute quidem, ſed clare, ſed diſtincte, ſed ordinate, modeſta, ac temperata quadam elegantia, quod explicandum fuerit, explicemus, memores præcepti illius Poeticæ artis magiſtri, qui recte ad rem noſtram cecinit.

Ornari res ipſa negat, contenta doceri.

Nam

Nam eſt quoddam Eloquentiæ genus peculiare, in addiſcendis, tradendisque ſeverioribus quibusque ac ſacris diſciplinis uſurpandum (didacticum appellant) quod ſuam habet elegantiam, ſuasque Veneres habet quidem, ſed in methodi perſpicuitate & in ſobriæ dictionis puritate collocatas. Quo fit, ut graviſſimorum rerum Tractator nunquam ab ipſo cauſæ cardine, omiſſa controverſiæ ſede, quod plurimi, qui tamen facundi ingenioſique videri volunt, non raro faciunt; in aliis minime controverſiis expatietur: quo nullum gravius in Scriptore vitium. Hoc enim eſt offendere in limine, & in ipſo itineris exorſu, ut quidam ait, e via deflectere. *Non eſt, non eſt* (inclamat Divi Auguſtini verbis ſobria ac recta Eloquentia) *non eſt Eloquentem, diſertumque Theologum eſſe, campos verborum necquicquam captare, in quibus ventoſe & inaniter curras.* Nam aliud eſt, quantum ad probandam cauſam ſuam ſufficit argumentorum teſtimoniorumque eleganter & nitide promere, aliud inani verborum, utut elegantiſſimorum, ſtrepitu, copias omnes ſuas incondite in aciem adducere oſtentationis magis, quam victoriæ cauſa. Poſtremum iſtud dicendi genus indecorum ac vitioſum exſibilat Eloquentia, alterum tempori, & materiæ ſcitiſſime ſerviens probat, & amplectitur. Hæ ſunt, Auditores, veræ Eloquentiæ de recta rerum tractandarum methodo caſtæ elegantiæ conjuncta, eximia, & nunquam ſatis laudata axiomata: quæ quam belliſſime cum Theologiæ tractandæ methodo conveniant, cæcus ſit, qui non videat. Media igitur via, quæ ſemper tutiſſima eſt, incedendum; abuſus vero

vero & extrema quæque, vitio enim nunquam carent; perpetuo vitanda. Caveant ergo Theologi, ne peregrino atque alieno ornatu Theologiam ineptissime induant, neve suo eam a sanctis Patribus, doctisque viris concesso & tradito denudent. Absit autem omnino, ut, dum electis verbis, & propriis quibusdam elegantiæ modis rem Theologicam explicandam docemus, vocabula illa & dicendi formulas sive Patrum, & Conciliorum authoritate firmatas, sive in scholis magistrorum exemplo & communi omnium calculo usurpatas, eliminare velimus. Minime gentium nobis (hæc omnium hominum sanioris judicii vox est) probari unquam debet eorum distorta non minus, quam temeraria opinio, qui vocabula disciplinarum quarumcumque propria repudiant & exsufflant; atque etiam Theologorum sermonem ad trutinam Ciceronianæ locutionis appendunt. Assentimur enim magno criticorum Principi Julio Cæsari Scaligero, exercitatione prima in Cardanum recte monenti: ***non versamur in foro, aut in Romano comitio, sed in communi theatro sapientum sub oculis veritatis, cujus supellectilem atque apparatum, non tam nitidum, quam opulentum esse decet.*** Perquam igitur ridicularia res est (ut Plautina voce loquar) anxia illa quorumdam & meticulosa diligentia ita contracta, & adducta in angustum, ut non nisi jis utatur verbis, etiam cum religionis Christianæ mysteria & divinarum scientiarum arcana tractat, quæ tantum medio illo ævo aureæ latinitatis fuerunt usitata. Sed & quam præpostera est, & plane inverecunda illorum sedulitas, qui in sacrarum lite-

literarum translatione, ut præ cæteris puritati studuisse videantur, & voces Ecclesiæ priscæ usurpatissimas, tamquam scopulos evitant: & idiotismos linguæ sanctæ ab versionibus suis exterminant, tamquam monstra fœdissima! Nam quis æquo animo ferat, *lotionem* pro Baptismo, pro Angelo *genium*, pro fide *confidentiam*, vel *persuasionem*, pro Ecclesia *Rempublicam*, pro Synagoga *Collegium* ineptissime substitui? Quis graviter non exardeat, quum illud S. Joannis primum dictum, quod est nostræ Religionis caput, *Verbum caro factum est*, in hasce elegantioris formæ voces, si Deo placet, *sermo caro factus est*, vel *sermo fuit corporatus*, audiat indignissime commutari? Nihilominus in hos scopulos aliquando impingunt, non quidem sobrii illi pudicæ Eloquentiæ amatores, sed vel homines latina lingua intemperanter abutentes, vel scioli quidam, ac semiliterati, qui argutuli videri volunt, & veluti equuli nondum bonis artibus cicurati in hisce pascuis binniunt, & *subsultant*. Memini me audivisse, magno cum stomacho simul & risu Theologum quemdam, cujus fortasse palato tritum in scholis *Unionis hypostaticæ* vocabulum & Sanctorum Patrum, Conciliorumque religione consecratum, & Theologorum omnium receptissimo usu probatum, fastidiose sapiebat; illam divini Verbi œconomiam (qui fuit Græcorum Patrum dicendi modus) *divinam diphthongum* appellantem. Bone Deus! quid est hoc monstri? Valeant tandem aliquando delicatuli isti blandiloquentes, atque in ultimas terras cum puditissimis hisce rancidisque mercibus asportentur. Ibi quantum volunt insaniant:

niant: ibi (date veniam quæso, ut eos suismet phrasibus irrideam) ibi inquam quantum volunt, per me licet & *nusquizent*, & *nunquizent*. Hæc enim duo monstrosa verba ex latinissimis particulis *nusquam*, & *nunquam* illorum nescio quis sibi finxit, ut posse Deum condere, ac conservare res aliquas extra omne & loci & temporis nostri spacium, declararet. Verum a nugis ad seria transeamus. Habet Religio voces sibi proprias. Habet Theologia suas. Habent artes quæque & disciplinæ. Jis utantur artifices oportet. Id unum requirimus, quum Eloquentiam & literarum humaniorum peritiam in Theologo requirimus, ne scilicet inquinate, ne barbare, ne incondite scribat. Ceterum liceat Theologo in scholis perspicuitatis gratia, ut Adolescentes rerum momenta probe percipiant, ea explicare vocibus etiam novis, sed recta analogia confictis, quæ rem evidentiori luce demonstrent. Dum autem libros de re Theologica conscribimus, prudenti consilio pro rerum & personarum varietate, modo magis, modo minus castigate & limate scribamus. Legendum propterea caput undecimum libri, quem de studiis monasticis scripsit Mabillonius. In eo vir doctissimus plurima de hac re, vere aurea, ex Basilio, Nazianzeno, & Augustino excerpta, laudat; quibus scitissimum Quintiliani testimonium subnectit. Legendus item, ac totus & sæpe, & accurate evolvendus Tractatus ille politissimus, quem de stilo, qui in didascalico dicendi genere adhiberi possit ab scientiarum præceptoribus & acute & eleganter exaravit Sfortia Cardinalis Pallavicinus, vir & sanæ Theologiæ, & veræ

veræ Eloquentiæ peritus. Ex eo didacticæ elocutionis præcepta, quæ ille comparationibus satis aptis explicavit, hauriemus.

Verum ne nos, qui Theologiam bonis artibus instructam, humaniorum literarum, Eloquentiæque lima politam, ac Sanctorum Patrum exemplo facundam volumus & opulentam; Scholasticam Theologiam, quæ modo in scholis obtinet, ac maximo cum Ecclesiæ emolumento radices suas fixit & in dies adolescit, e sede sua deturbare videamur, operæ pretium erit hoc loco, Auditores, mentem nostram explicatius aperire. Non bene profecto, quæ a nobis hactenus dicta sunt, animo comprehenderit qui nos putet de tam mirifica ac necessaria, res divinas addiscendi, tradendique methodo, quæ nunquam satis laudari poterit, pessime aut minus æque sentire. Hæreticorum est illa vox, quæ adversus scholasticam Theologiam, quæ scilicet recte instituta est, debacchatur. quippe qui multum sibi metuunt ab hac strenua, fidissimaque ratiocinandi duce: quæ laxas mendaciorum, errorumque lacinias presso pede insequitur, atque in angustum redigit; quæ nodos subtiliter extricat, & tricas dissipat; & offusas veritati tenebras, caliginesque mira ac singulari luce discutit, atque involutas fraudes in medium diem producit. Quis ergo, nisi plumbeus plane sit, vel iniquus, Scholasticam Theologiam tantorum bonorum parentem fœcundissimam ad rerum inutilium classem amandaverit, eamque silvescere & sterilescere permiserit? Itaque, ut hæc sacrarum literarum ac veritatis vindex acerrima, salva semper, incolumisque consistat, atque novum in dies

capiat incrementum, authores nos oppido ſumus: tantum abeſt, ut Theologiam Scholaſticam repudiemus. Quod volumus id unum eſt, Auditores, ne a rectis doctiſſimorum ſcholæ Principum veſtigiis, Angelici præſertim, ac Seraphici Doctoris unquam deviet, & in abrupta ſe proripiat: ne frivolis & vanis quæſtionibus tota quanta eſt ſe immiſceat, ne in tricis, & nugis omne tempus inſumat: ne denique quadam innovandi libidine nova commenta recudat, atque jis mordicus adhæreat. Hoc quidem volumus: quod non eſt Scholaſticam Theologiam extirpare, ſed purgare; non eſt ad vivum reſecare, ſed palmites inaniter luxuriantes præcidere, ut uberior cognitæ veritatis fructus ad maturitatem perveniat: non eſt, non eſt tandem Scholaſticam Theologiam damnare, ſed abuſus in eam temere invectos corrigere. Quemadmodum enim in reliquis artibus, ut ut bene conſtitutæ illæ ſunt, optima quæque non ſano earumdem uſu corrumpi aliquando contingit; ſic quoque in hac omnium arte ſumma, imperiti vel intemperantis artificis vitio aut temeritate, ne id eveniat, verendum eſt. Quare Theologia terminis a majoribus ſapienter conſtitutis optimo conſilio finiri debet & circumſcribi; quin etiam ſi temporum conditio id poſtulat, ad grandiorem Sanctorum Patrum normam eſt revocanda. Atque utinam omnes, qui ſcholæ ſubſellia modo implent, Principes illos ſcholæ parentes præ oculis haberent ſemper, ſemperque eorum ſcripta ſedula manu volutarent. O quam nitidam tractandæ Theologiæ methodum ab jis ediſcerent; viderentque ſimul; ut illi, ſicuti per ætatem licuit, nec a bo-

a bonis artibus, nec a quadam temperatæ, & castæ Eloquentiæ venustate, fuerint penitus destituti! Admirabilis quippe est lactea ac vere Angelica in divi Thomæ scriptis quæstionum dispositio ac connexio, dilucida, ornataque, quantum materia patitur, elocutio. Neque his virtutibus caret divi Bonaventuræ rerum Theologicarum tractatio, quibus perpetuo addit ignitos quosdam divini amoris stimulos, vere seraphicos, ad legentium animos inflammandos. Lucet enim ejus doctrina, Gersone teste, & simul ardet. Quod si in philosophicis aliquando plus æquo expatiari videntur sanctissimi scholæ doctores; id tempori dandum, quo scribebant, atque adversariis, cum quibus eos congredi oportebat. Aristotelis, Avicennæ, Averrois, atque hujus farinæ Philosophorum placita tempestate illa apud omnes obtinuerant, & utramque paginam faciebant. Jis abutebantur ad fidei catholicæ dogmata labefactanda & libertini ingenii Scriptores, & Hæretici. Prudens ergo fuit scholasticorum doctorum; sapiensque consilium jisdem armis adversus hostes in certamen descendere, & proprio ipsorum ense Hæreseon monstra jugulare. Instituta a Patribus primorum sæculorum cum Græcis,tum Latinis summa cum sapientiæ ac prudentiæ laude hoc in negocio imitati sunt. Illi quippe cum Ethnicorum Gymnasia veterum Philosophorum, Platonicorum præcipue, decretis maxima famæ gloria eo tempore florerent; suarum partium esse duxerunt eodem cum illis curriculo insistere, illorum axiomata convellere, argumenta falso inde deducta, falsissima esse demonstrare, nulloque modo rectæ ratio-

nis lumen, ſacrarum literarum teſtimoniis, ac fidei noſtræ dogmatis adverſari. Quam ob rem nos, qui in iſthæc tempora incidimus, quandoquidem poſt renatas meliori ſidere literas, & erudita linguarum ſtudia, & mirifica criticæ artis adjumenta, & univerſæ eruditionis prædivites theſauri in omnes omnium cultarum gentium ſcholas ſeſe liberaliter effuderunt; nos, inquam, qui manus identidem conſerere cogimur cum hoſtibus, hiſce copiis luculenter inſtructis; atque literarum humaniorum & Eloquentiæ artificiis bene ſtipatis, in Scholaſticæ Theologiæ ſubſidium, (firma illa ſemper, conſtansque ſit ſcholarum magiſtra) harum rerum, univerſæque eruditionis præſidia arceſſenda eſſe plane intelligemus. Utinam magnæ illæ animæ ſcholaſticorum Principum ad vitales haſce auras modo redirent. Utinam in agone ſcholaſtico iterum daſudarent. Quanto præ noſtra fortius, feliciusque illorum occupataretur induſtria! Ut nullum ex his, quibus nos abundamus, adjumentis, in tanta librorum copia, typorum beneficio diffuſa, in tam vaſta, ac propemodum infinita eruditorum laborum ſupellectile; in tanta denique humaniorum literarum ac Eloquentiæ luce, ut nullum unquam ſibi perire paterentur adjumentum; quin omnia ſibi avidiſſime arriperent: & maſcula Eloquentia, & uberiori, laxiorique ſinu Theologiam exciperent, & liberalius educarent! O quales, quantosque vindices adverſus vanam, mendacemque Hæreticorum eruditionem in iis haberet Eccleſia! Haberemus profecto in primoribus ſcholæ magiſtris redivivos Athanaſios, Baſilios, Nazianzenos, Chryſoſtomus, Hieronymos, Ambro-

Ambrosios, Augustinos, summos scilicet & Theologos & Eloquentes haberemus. Habemus tamen, qui pro virili sanctorum Patrum uberem Theologiam, politis ac nervosis scriptis aliquo pacto conantur exprimere. Non desunt, qui Patrum exempla secuti, probæ illius Eloquentiæ, omnigenæque eruditionis atque humaniorum literarum notitiam cum Theologica facultate ita conjungunt, ut nedum paribus, sed certe superioribus armis novatores collatis signis adoriantur, eorumque petulantiam egregie retundant.

Ad nos itaque excellentium horumce Theologorum hereditatem, & sacrorum studiorum imitationem pertinere nullus dubito. His ducibus scholasticæ Theologiæ brachia bonarum artium præsidio, quasi firmissimo umbone obarmemus oportet, ut acutis Theologiæ gladiis Eloquentiæ splendor, conveniensque nitor accedat.

Verum, audio quosdam aliter, atque ego sentio, post scenam obloquentes. Scilicet, inquiunt, Eloquentiæ blandimentis acutissima Theologiæ jacula hebetari debent atque obtundi? circumductis verborum periodis bene constitutum argumentorum agmen dissolvi quis ignorat? Superficie tenus illustria esse Eloquentiæ arma, at parum solida. Theologos, qui in hæc divagantur, eruditos quidem audire, sed parum in statione sua firmos; apparentibus ratiunculis ipsos delectari, non e fundo rationis evisceratis: propterea nec acutos esse, nec profundos. Hæc & similia blaterare solent homines jejunis syllogismis innutriti. Quin etiam summos, clarissimosque Theologos, quamquam & penitioris Theologiæ acumine & dictionis nitore, & Eloquentiæ vi, eos

lato

lato intervallo antecellant, hoc ipso tantum nomine, quo eloquentes audiunt, ab omni prorsus affirment profunditate, atque acumine in re Theologica destitutos: ac si literarum humaniorum, & Eloquentiæ exercitatio, res Theologicas pervidendi aciem prorsus obtundat, ac stupidos, hebetesque homines faciat. O distortum, perversumque judicium! Erigant illi aures, audiantque quid calumniis ipsorum reponamus: veram Eloquentiam non eam esse, quæ sita sit in nescio quibus argumentatiunculis, in nugis sophisticis, in puerilibus argutiis jam supradiximus. Illam veluti indivulsam sibi comitem rationem adsciscere, atque optimi instrumenti loco rationi artifici inservire, item diximus; fundamenta, basesque scientiarum metiri, acute argumentorum sedes ante perlustrare, etiam diximus, & centies inculcavimus. Quo pacto igitur obtundere poterit Theologicarum rationum acumen Eloquentia, quæ argutos, certosque, & nimis anxie circumscriptos verborum ambitus a Theologo non requirit, requirit autem, ne inconditas, dissipatasque sententias nullo prorsus verborum ordine scribat? Hac quidem sana Eloquentia qui pollent Theologi, & lima poliunt, & ad incudem revocant argumenta. Acuit igitur, non obtundit, coacervat scite, non dissipat incondite, ornat, non opprimit, in bona luce collocat, non obruit involucris Theologicas ratiocinationes sana isthæc ac virilis Eloquentia. Quanto hæc sint præ ceteris bonarum artium instrumentis illustriora atque uberiora commoda, quæ ab Eloquentia, universoque humaniorum literarum complexu in Theologiam derivant, plane vident,

vident, qui sapiunt. Sunt enim præclara hæc humanitatis studia nedum ad animi oblectationem pulcherrima, sed & ad defendendam, illustrandamque religionem nostram perquam necessaria. Quæ si attendissent homines humanioribus literis infensi, minus in arrogantiam offenderent, nec tantopere in acuta, ut ipsis videtur, barbarie perseverassent. Sed attendunt fortasse, Nihilominus tamen nescio cujus latentis invidiæ fumo obcæcati, animi oculos sponte claudunt, ne videant quanto in errore versentur. Nonnulli siquidem ex illorum grege sunt, qui, ut Terentianus Mitio inquit.

Nihil rectum putant, nisi quod ipsi faciunt.

Unde illam dumtaxat loquendi, scribendique rationem probant, quam se imitari posse confidunt. Hinc doctorum virorum diserta, casteque ornata Eloquentia, ad cujus culmen contendere minime valent vel ingenii imbecillitate, vel reluctante natura, & laboris, & accuratæ diligentiæ impatiente, semper ipsis & suspecta; & invisa. Non sunt itaque ab veritatis amore adversus Eloquentiam, humanioresque literas, quas in vulgus spargunt, quærulæ illæ voces non; habent alias, sive ab invidia, sive ab inertia, sive ab erroris pervicacia radices. Eloquentissimos Theologos oderunt, feruntque animo iniquo sicci isti & macie tabidi acuminum sectatores, qui, ut cum Tullio loquar, *certis quibusdam destinatisque sententiis & loquendi modis*, ab Sanctorum Patrum norma longe alienis, *quasi addicti, & consecrati, ea sunt, quam altius imbiberunt, dura aliquando necessitate constricti, ut etiam ea, quæ non satis probare solent, cogantur pertinaciæ caussa defendere.*

dere. Accedit alia hujusmodi opinionis origo: nonnulli ingenio suo aliorum ingenia metiuntur; cum vero ipsi impares tanto oneri se cognoscant, ut æque gnaviter dent operam & eruditis, humanioribusque studiis; & divinarum rerum solidæ meditationi, alios etiam id pro dignitate præstare non posse existimant: juratique asseverent, viros celeberrimos (ut belle desipiunt) in tantos rerum, atque eruditionis campos longe, lateque distractos, rationum momentis, & acutæ Theologicarum rerum indagini non posse constanter insistere. Ita est, ita est, Auditores. Hæc sunt nonnullorum perversa judicia: hæc illorum in viros doctos, ut sæpenumero experimur, Archilochica edicta. Proximo labente sæculo inventi sunt Theologi, si ipsis credendum, acutissimi, qui virum & dignitate, & Theologica doctrina, omnique optimarum artium laude eminentissimum, non alia de caussa, nisi quia & rei chronologicæ, & multijugis eruditionis, & totius antiquitatis subacta scientia esset famigeratissimus, ex albo Theologorum censoria virgula expunxerunt, atque e sacræ Doctrinæ subselliis per summam injuriam deturbatum ad Chronologos, ad Antiquarios, ad Grammaticos amandarunt. Hac ipsissima, ut plurimum, via incedunt quidam ejusdem furfuris, qui ingenio intra cancellos dumtaxat macræ speculationis adstricto, dolium unum volutare noverunt, unoque in pistrino semper inclusi, in eo tamquam in Regno, sibi plaudunt, ac triumphant. Atque hanc cantilenam centies recinere solent: viris scilicet eloquentibus ac amplissima eruditione præditis in dorso studium esse, non in cerebro. O certe homines

cere-

cerebrosi, totique ab ingenio facti! Grande nimirum ingenii argumentum (liceat his scholæ phrasibus uti) abstractissimis, chimæricisque præcisionibus mentem sursum agere, omnemque dialecticum spiritum ex æquivocorum succis exprimere, ut sophisticis argutiolis adversarium circumvenias ac decipias! Grande ingenii paradigma metaphysicis eliquationibus (ut de novitiis Pseudomysticorum commentis senserat olim Jacobus Benignus Bossuetus Meldensis Episcopus, Theologus & doctissimus, & eloquentissimus) metaphysicis, inquam, eliquationibus res divinas, quasi chymicorum igne segregare in aereas, vanasque particulas, atque in novas formas transmutare! Grandis ingenii labor ad amussim dialecticam duo, vel tria rationis momenta, & aliquando figmenta revocare! Fac ut ita sit. At nullius ingenii labor fortasse erit sacræ Scripturæ arcana perscrutari, varias sacri textus cum lectiones, tum versiones consulere: quæ falso ab Hæreticis obtruduntur interpretationes, linguarum peritia expungere? Nullius erit labor ingenii Patrum scripta in ipso Scriptorum fonte propriis, non alienis oculis legere: & collatis inter se manuscriptis, editisque codicibus, si quid luxatum ac depravatum, ope critices integritati suæ restituere, genuina vero a spuriis secernere; unde certam ad fidei defensionem argumentorum seriem sibi sumat Theologus, atque omnia recto filo disponat, & perspicue, ornateque in lucem emittat? Ita ne nullius ingenii labor erit in Ecclesiæ castra tot, tantosque commeatus importare? & scholasticam Theologiam, quam, uti ducem, omnes vere Theologi amant & profiten-

tur, ſubſidiariis, quibus hoc tempore indiget, copiis, adverſus hæreticorum conatus communire? Bajuli ne vobis erunt hujusmodi Scriptores, non artifices? In dorſo ne habent robuſtiſſimi iſtiusmodi Theologi ſtudium, in cerebro non habent? Ita vos tantummodo ſapitis: ita vobiscum ſapiunt, qui deſipiunt. Sed damus, inquiunt, perlibenter, eruditiſſimos illos dici: acutos autem dici pernegamus. Heus homines contentionis cupidiores, quam veritatis! Fieri fortaſſe poterit, ut tam magna eruditionis, Eloquentiæ, humaniorumque literarum copia acuminis laudem amittant? Nempe hebetes, obtuſique apud vos erunt Athanaſii, Baſilii, Nazianzeni, Nyſſeni, Chryſoſtomi, Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini, Aquinates? Hebetes erunt, qui hos acutiſſimos, eloquentiſſimosque Patres ſtrenue his noſtris temporibus ſunt ſecuti? Hebetes erunt, ut ſexcentos alios prætercam, & Robertus Cardinalis Bellarminus, & Gretſerus, & Sirmondus, & Petavius, & Alphonſus a Caſtro, & Canus, & Boſſuetus Meldenſis hic, ille Canarienſis Epiſcopus? Hi omnes de controverſiis fidei optime meriti, acutiſſimi in Theologiæ Scholaſticæ palæſtra habiti ſunt, quamquam illam ſemper cum Eloquentia, cum linguarum peritia, cum humanioribus literis, cum omnigenæ eruditionis cumulo, accerrimoque judicio ſumma laude conjunxerint. Quid reſtat igitur, niſi ut vos aberrare dicamus? Reſtat ſane, ut vos præpoſtere acutos, ſubtilesque diſputatores, divi Auguſtini Doctoris & acutiſſimi, & diſertiſſimi in utraque palæſtra, & ſcholaſtica & Polemica dictatoris, decretorio judicio permittamus. En, quo-

quomodo sanctus Doctor eodem vos, quo olim Julianum, divinæ gratiæ hostem, acutum item, & callidum e media ethnicorum philosophia disputatorem, fortissimo simul & eloquentissimo stilo impetat, atque confodiat. *Quæ vobis* (sic adoritur magnus Ecclesiæ magister sophistas frivolarum ratiuncularum amatores.) *Quæ vobis argumenta succurrent? Quæ Aristotelis cathegoriæ? Quibus ut in nos veluti artifices disputatores, in alios videri appetitis elimatos? Ubi est acumen vestrum, quo vobis videmini: & cathegorias Aristotelis assecutos, & etiam dialecticæ artis astutiam? Videte nempe, quam dialectice nihil dixeritis.*

Quæ cum ita sint, optime a nobis de re Theologica consultum erit, si illam eamdem in sacris hisce studiis robustam, copiosamque methodum, quam sancti Patres, virique de schola doctissimi probe tenuerunt, presso pede percurramus. Ut nimirum peracto Theologiæ Scholasticæ curriculo (hanc enim egregie cultam in antecessu volumus) res sacras adhibito & linguarum, & Eloquentiæ, recte convenienterque temperatæ, atque omnis sanæ eruditionis subsidio, pertractemus: ne falso putemus nullum inter humaniores, ac sacras literas, gravioresque disciplinas commercium intercedere: ne hac tempestate, tot tantisque virorum doctorum lucubrationibus locupletata, pristinam barbariem mordicus retinere, & in antiquitatis totius ignoratione misere versari videamur: neve tandem bonarum artium jejunitatem in tanta illarum abundantia præpostere diligamus; digni propterea, ut Tullianis verbis

 argua-

arguamur, veluti qui *perverſe poſt inventas fruges, glande veſci perſeveremus*.

Lætor autem, ac ſummo gaudio perfundor, quum plurimos video ſanioris Theologiæ magiſtros, qui adoleſcentum animos, flagrantes deſiderio ſapientiæ, eo perducere incipiunt, ut in tractandis rebus Theologicis ad limatiſſimam ſanctorum Patrum doctorumque virorum methodum beatam illam, & copioſam, exiſtiment eſſe regrediendum. Exſtat, quem ſupra laudavi, doctiſſimi Mabillonii, cujus memoria in benedictione erit, liber de monaſticis ſtudiis, qui rerum ſacrarum tractatoribus regiam plane viam ſternit, cui maxima cum Theologici nominis commendatione utiliter inſiſtant. Quam, qui ſunt ſecuti ex ornatiſſima ſancti Mauri familia viri celeberrimi eruditis laboribus & Patrum Theologiam, & eccleſiam illuſtrarunt hactenus, & modo feliciter illuſtrare pergunt. Exſtat item alterius de Patrum lectione tractatus Gallica lingua ſcriptus, qui præclara de hac re habet atque utiliſſima documenta: docetque prudenter quam ſibi partem ex ampla Patrum lectione pro ſua virili quiſque ſumat præcipue tractandam, ut juxta illud ſapientis ingenii monitum, *videat quiſque prius quid poſſit, deinde totum faciat, quod poſſit: nam ſi quo in genere plurimum poteſt, in eo magnopere adlaborat, egregium ſibi opus relinquit*. Exſurgunt etiam hac noſtra tempeſtate ex ſcholis Italiæ, quæ fuit ſemper ingeniorum fæcunda parens, ac bonarum artium magiſtra, exſurgunt viri, qui cum ſanæ Theologiæ, & omnis omnino eruditionis copia tum politiſſimi ſtili ubertate, quæ Italorum ſemper inge-

ingeniorum gloria fuit, abundanter instructi, etiam in hisce sanioris Theologiæ studiis Italici nominis dignitatem tueantur: atque exteris Theologis, (qui quamquam semper de nostro creverint, & sua nostris fundamentis superinstruxerint, potissimum hoc in studio præ nobis regnare gloriantur,) & palmam eripiant, & ab jis accepta facient meliora. Audio siquidem virum egregium & religione, & doctrina insignem, qui Additiones & vindicationes ad Bellarmini Controversias prælo paratas habet, nonnulla de recta Theologiæ methodo adversus hæreticorum commenta eo in opere præfari: nec dubito, quin perspicue, & solide id perficiat vir doctissimus: habet enim ingenium geometricis institutis bene purgatum: habet locupletem totius eruditionis apparatum: estque omnium pene linguarum, quæ in variis sacræ Scripturæ interpretationibus vigent, callentissimus. Edidit quoque brevem quidem, sed melioris succi plenum Indiculum quorumdam opusculorum sanctorum Patrum, ex quibus præcipua sacræ doctrinæ argumenta sibi derivent Theologiæ candidati; vir cum pietate, tum eruditione excellentissimus popularis meus, genere non minus, quam vitæ sanctimonia clarissimus. Hic sæpe mecum corruptam a quibusdam semidoctis apud nostrates tractandæ Theologiæ methodum vehementer indoluit: & ut est divinarum rerum assiduæ contemplationi, atque ecclesiasticæ Psalmodiæ addictissimus, ingenue affirmavit aliquando, se animum ad res sacras, divinasque precationes rite peragendas magna cum difficultate colligere potuisse, si recens a siccis, atque abstractis hujusmodi quæstionibus
ad

ad ſacra acceſſiſſet; ſecus autem, ſi a Patrum lectione ſurgeret, mentem minime diſtractam, voluntatem vero ſuavi quadam ſancti Spiritus unctione inflammatam experiri: unde novam, uberioremque, non Indiculi ſolius, ſed plenioris methodi tractandæ Theologiæ ad ſanctorum Patrum amuſſim expenſæ editionem meditatur vir doctus & pius, edito jam Inſtitutionum Theologicarum antiquorum Patrum tomo primo. Operis frontem exornant Conciliorum ac Summorum Pontificum decreta de recte inſtituenda Theologiæ methodo, orthodoxis doctoribus præſcripta. Igitur in horum virorum ſententiam eundum eſt, Auditores. Scholaſticam Theologiam a certis quibusdam vanis, ac ſuper vacaneis quæſtionibus, quas maleferiata ingenia pro innovandi libidine pepererunt, recte purgare, & priſtino ſuo decori reſtituere, oportet. Eaque, ut expedit, ſummo cum honore, & utilitate apud nos retenta, atque in fidiſſimam comitem aſſumpta, ad altiora ſacræ doctrinæ ſtudia gradum faciamus. Id vero nos pro dignitate præſtare non poſſe, niſi humaniorum literarum, Eloquentiæ, ac univerſæ eruditionis adjumenta fuerimus conſecuti, ſane inficiabitur nemo. Hactenus hæc a me, & ſatis forſitan prolixe, ut vel mihi videtur, demonſtrata ſunt. Sed Theologiæ optimæ inſtaurandæ, exornandæque deſiderium, homini ab ineunte ætate Theologicis inſtitutionibus innutrito, de Theologia dicenti longius, quam par erat abrepto, nimis productæ orationis veniam impetraverit. Nunc, ut inſtituimus, ordine ad reliqua pergamus. *Alterum* eſt in quo aliquando oportet, ut ſacrorum ſtudiorum occupetur induſtria; Hiſtoriæ

ſtoriæ ſcilicet eccleſiaſticæ cognitio, & de rebus in Eccleſia geſtis diligens, ſolersque tractatio. Hujus enim adminiculi neceſſitatem non ultimo loco ponendam eſſe a Theologo, uberiori calamo probarunt viri eruditi quamplurimi: quibus & nos ſymbolam addidimus, præfatiuncula de hac re edita, quum primum in Almo Auguſtæ Peruſiæ Gymnaſio Inſtitutiones Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ publice prælegeremus. Ne igitur actum agere & rem diu inter eruditos vexatam, communique omnium calculo probatam retractare videamur, eam in anteceſſum poſitam volumus. Id unum modo videndum eſt; quam multa nimirum ad intelligendam, ſcribendamve Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ partem aliquam, humaniorum literarum atque virilis Eloquentiæ ratio ſuppeditet adjumenta. Suppeditat enim omnium rerum, quas Hiſtoria deſiderat abundantiam, & copiam. Quibus ſi quandoque careret, nedum manca illa eſſet & vitiata; ſed ſæpenumero prorſus abſurda, atque a veritate, ſine qua nullo modo poteſt ſalva conſiſtere, penitus deſtituta.

At quoniam ſingula perſequi per tempus non licet, potiora rerum capita, ea, qua poſſumus brevitate percurramus. Non indiligens veteris, novæque Geographiæ conſtitutio; exactiſſima item Chronologiæ ratio in hiſce ſtudiis probe tenenda eſt, Auditores. Sunt enim hæc duo potiſſimum, veluti totius Hiſtoriæ lumina: ſine quibus, ſive hiſtorica legas, ſive ſcribas, per cæcos, dubiosque anfractus incedas ſine luce, ac ſine duce: unde ſtatim tota aberrare via certo certius te ſenſeris, ac multis erroribus implicari. Finge tibi diſſiden-

dentes inter se Scriptorum sententias obversari, qui de loci alicujus natura, situ, aliaque hujusmodi circumstantia, ea scribant, quæ tenebras offundant rerum gestarum narrationi: finge nodum valde implexum ex variis urbium ac regionum nominibus, quæ aliquando omonyma sunt apud Historicos, nulloque certo adjunctorum charactere distincta, sed pene confusa; quæve novis superinductis appellationibus a veterum nomenclatura recesserunt; quid ages geographicis institutis vix a limine salutatis, si Dodonæo e luco nunquam prosiliens responsa quidem & oracula fundas e tripode, ceterarum vero rerum ita sis rudis, ut in Æthiopia ne, an in America sit Mexicum ignores? Quonam te pacto ab hujusmodi nodorum coagmentatione feliciter extricabis, nisi suppetat totius Geographiæ exacta cognitio? Jam tibi Græca Messene, Messana erit Sicularum urbium nobilissima: jam Siciliensem Megaram cum Græca ejusdem nominis commutabis: jam Cæsaræam Cappadociæ cum ea, quæ apud Palæstinos est: jam Forum Julii Galliæ Narbonensis cum ejusdem nominis Galliæ Transpadanæ Colonia; jam Faliscos Etruriæ Suburbicariæ cum Faliscis Chalcidensium Colonis in Magna Græcia (ut nuper accidit): jam totam demum Africæ sacræ geographiam cum recenti scholiaste epistolarum synodalium inter Augustinianas, imperite miscebis. Jam tibi Ephræm Theopolitanus Antistes, Diaconus erit Edessenus, & cum famoso magnorum nominum obtrectatore tres homines, nempe Aimoinum Sangermanensem, alterum Aimoinum Floriacensem, & hujus interpolatorem anonymum in unum conflabis. Sed

Sed quid plura confector ac colligo ? Omnium una vox est doctorum virorum firmata consensu, cæcam penitus esse sine Geographiæ luce Historiam. qui vero ad eam accedunt sine illius ductu, nec oculos in fronte habere. Nunc vero dicant, quæso, humaniorum literarum contemptores; qui fieri poterit, ut rem geographicam, ab Græcis, Latinisque scriptoribus olim traditam, a viris doctissimis secundis postea curis multiplicis eruditionis ope illustratam, diligenter ipsi percipiant, ne libatis quidem mitioris literaturæ rudimentis? Profecto ab humaniorum literarum ac linguarum subsidio destituti, aut multa, ne dicam omnia, perverse accipient, aut ne vix quidem intelligent. Eodem hærere turpiter luto illos videmus, & quandoque in pejus labi, qui rectæ Chronologiæ regulas ignorant. Nam quomodo Fastos Consulares, Imperii & Pontificatus initia, & persecutionum, & præcipuarum rerum in Ecclesia gestarum exordia exitusque, certis, finitisque periodis comprehenderint; ut quo tempore coacta generalia, ac celebriora provinciarum Concilia fuerint; quibus Romani Imperii Principibus, quo anno, qua die Martyrum Passiones inciderint, certo definiant: si quid vero dubium, implexumque sit, ad stateram veritatis appendant ? Quonam filo ex infinitis propemodum ac Labyrinthæis ambagibus, quæ temporum perturbata ratione sine termino nectuntur, libero pede evadent unquam homines imperiti, quibus libratæ Chronologiæ præsidia non præsto sint ? Veterum anachronismis suos adjungent, & quidem fædiores. Martyres, qui nusquam ac nunquam fuerint in medium

adducent. Vere pro Religione passos, vel ex albo Sanctorum expungent, vel pseudo martyribus hæreticorum in unum confundent. Quæ sub Diocletiano, exempli caussa, acciderunt, sub Decio vel sub Gallieno collocabunt. Præcipua ecclesiasticæ Historiæ capita metachronismis deturpata, hæreticorum ludibrio exponent. Veterum Patrum monumenta longe alieno ab eo, quo signanda sunt tempore, notabunt, uti evenisse scimus, crasso fartori, qui nuper literas ab Dionysio Alexandriæ Episcopo, imperante Gallieno datas, ad Deciana tempora ineptissime revocavit. Cui non risum moverit Theologus ille doctrinæ temporum imperitus, qui cum argumento premeretur, petito ex Concilio Florentino de processione Spiritus Sancti, sibi perfricuit frontem, ac divum Thomam eum Concilii locum pro se ipso interpretatum fuisse pronunciavit. Perbelle scilicet ac præclare, quum divus Thomas seculo sesqui altero Concilio illi antecesserit. Audacia & inscitia huic omnino similem se prodidit nudiustertius miles ille gloriosus, qui ut suorum plagiorum turpitudinem excusaret, in criminis socium trahere tentavit magnum Platonem, quem scriptis suis Menandri versus, suppresso nomine auctoris, inseruisse affirmavit, quum tamen Plato longo tempore ante Menandrum floruerit. In summa, ut omnia susque deque verterint, ac maria terrasque miscuerint qui sine humaniorum literarum ac linguarum peritia, (qua una totius Geographiæ, ac Chronologiæ instituta probe intelligere possunt) legendæ, scribendæve ecclesiasticæ Historiæ non lotis, ut ajunt, manibus, potestatem temere sibi tribuunt! Porro quid dicam de altero Histo-

Historiæ præsidio minime contemnendo, quod ex totius antiquitatis notitia promanat luculentius? Quid enim vetusta Regum Pontificumque diplomata? Quid manuscriptorum codicum arcana supellex? Quid numismata vetera & Græca, & Romana? Quid supremi, ac medii ævi inscriptiones, obscurissimis aliquando Historiæ locis, quid, inquam, non conferunt lucis? Sane, ut Polyhisthor ille eruditissimus scribit, *Nummi* (addam ego & *lapides*) *interdum plus loquuntur, quam ipsi Auctores, & repræsentata in iis picta & insculpta rerum publice gestarum & Antiquitatum Historia, rerum harum indagatores mire juvat, & ad perfectam Historiæ totius cognitionem facillime ac tutissime conducit*. Sed quibusnam labris mutos hosce testes legent? Et quanam intelligentiæ clavi hosce thesauros recludent unquam ji, quos humaniorum literarum, linguarumque solertia destituet? Hæc ita perspicua sunt, Auditores, ut ea cordatis viris solum indicasse sit satis.

Ad criticen modo considerationem intendamus: Etenim Antiquitatis studium, & critices exercitatio, quam maxime inter se cognata sunt, & mutuam sibi lucem commodant. Hæc ars plane mirabilis, quæ veluti sepes est bonorum auctorum, atque totius cultioris literaturæ, mirum in modum ecclesiasticæ Historiæ operam suam locat, ac difficillimis sæpe, desperatisque rebus præsens affert auxilium. Norunt eruditi quam vastus, quantusque sit criticæ artis usus, in dignoscendis, ac dijudicandis omnis generis auctorum, Græcorum, Latinorum, sacrorum, prophanorumque scriptis,

in caſtigandis, emendandis, ac reſtituendis jisdem; & quæ alia artis exquiſitiſſimæ munia ſint: norunt identidem ji, qui ſine criticæ artis adjumento, confuſa omnia, miſerrimis impoſturis plena fore animadvertunt. Hujus enim beneficio, ne pro legitimis adulterini ſupponantur fœtus, egregie efficitur: quæ res in Hiſtoria primas habere partes debet, quum nonniſi a veracibus, probatisque teſtimoniis, Hiſtoriæ, præſertim ſacræ, veritas petenda ſit. Propterea tota quanta eſt in hiſce ſtudiis, doctorum virorum ita hactenus inſudavit diligentia, ut jam nullum pene ſit, neque tam obvium, neque tam reconditum veterum monumentorum genus, quod juſtis criticæ artis ponderibus per hæc tempora acutiſſimorum hominum ingenia non graviter examinarint. nam qui ſecus fecerint, quam turpiter lapſi ſint, ſæpe doluimus. quot enim falſa magno cum veritatis detrimento in eccleſiaſticam Hiſtoriam invexerunt? Quot & Sanctorum geſtis, & Martyrum actis figmenta incruſtarunt? Quot veterum Patrum genuinis ſcriptis ſuppoſiticia ac fictitia aſſuerunt? Res a ſanctiſſimis & doctiſſimis viris poſt Gelaſium Romanæ Eccleſiæ Pontificem dudum animadverſa jam ſatis de ſe loquitur, Auditores, atque in enumerandis eorum erratis tempus me citius, quam oratio deficeret. Erit item locus quum noſtras diſputationes de recto uſu rationis in applicandis critices regulis in lucem emiſerimus, ubi hæc fuſiori oratione retractemus. Interea hujus criticæ artis, æquæ & rectæ quidem, non temerariæ, non irreligioſæ, non inverecundæ, adjumenta omnia complexu teneant oportet, ut ex eodem, ne quid abſit, qui eccle-

ecclesiasticæ Historiæ lacunam commodum explere in votis habent. Quare & humaniorum literarum, & totius mitioris eruditionis facultatem, qua criticæ artis intelligentiam consequi possunt, sibi comparandam esse certo sciat qui veneranda ecclesiasticæ Historiæ monumenta rectis oculis inquirere, aut accuratissimis consignare literis cum utilitate desiderant.

Ne vero quidquam ad institutum nostrum maxime faciens intactum, indictumque relinquamus, pauca hic de perpoliendo stilo in scribendis Historiæ ecclesiasticæ documentis leviter delibemus; reliqua, ubi, Deo dante, de Historiæ artificio sermo erit, fusius tractaturi. Etenim quamquam jis, qui res in Ecclesia gestas privatos in commentarios referunt, ne majorum dicta, factave posterorum memoria dilabantur, rudi quodammodo ac simplici dicendi genere, libenter demus, ut scribant; jis tamen, qui res easdem leviter ab aliis adumbratas e scriniis antiquitatis eruunt, atque in publicam lucem non jisdem verbis, nec commentariorum, sed Historiæ nomine insignitos emittere satagunt, ut ruditer scribant, minime concedendum putamus. Quemadmodum enim pictor imaginem, quam domesticos inter parietes leviter in tabella adumbravit, nonnisi scite expolitam postea, & superinducta primis lineamentis egregia forma, & quam rudi penicillo tetigerat, omnibus suis coloribus graphice descriptam, populo spectandam exhibet: ita ecclesiasticæ Historiæ Scriptor quæ ex aliorum commentariis prima, ut dici solet, falce dolata excerpserit, ea, si quidem publicæ luci exponere statuit, lima poliat ac decenter exornet.

Non

Non illam tamen usurpet dicendi formam, qua Romanenses fabulas calamistris inurere, fucisque ac pigmentis ad nauseam usque colorare solent otiosissimi Scriptores, quibus ludicra quædam dictio veterum eloquentissimis inaudita penitus, atque invisa, in deliciis est; sed casta ac pudica elegantia historiam scribat, ut historiam decet, eumque dicendi morem teneat, quem gravissimi rerum ecclesiasticarum Scriptores magna cum laude sectati sunt. Fateor ingenue, Auditores, nunquam ad magni Baronii Annales oculos convertere soleo, quin effusis præ gaudio lacrymis iterum atque iterum, eos veneratus exosculer, & nitidæ & puræ, & sobriæ, & elegantis dictionis castimoniam, gravemque simul ac concinnam rerum gestarum narrationem, propria & ad libram expensa suavitate conditam: quæ talis, tantaque est in spissi & subacti laboris opere, ut ab invitis adversariis meritas laudes extorqueat. Æque vero mihi stomachum, bilemque movent & comptuli illi, affectatique Scriptores, qui in antithetis ac frigidis argutiolis, ut plurimum ludunt; qui quasi meretricia cerussa, stibioque sacræ historiæ faciem deturpant: tum & illi etiam horridi, hirtique sarcinatores, qui contra, omnibus perturbatis atque confusis, nullo verborum delectu, nullo dictionis nitore res clarissimas non jam edere, sed vomere, non scribere, sed inquinare videntur. Ecquis unquam patienter legerit Sanctorum virorum res præclare gestas, tam inquinate, tam fæde descriptas? Fac hujusmodi de vitis sanctorum Scriptores ad purissimam, latinissimamque phrasim Cornelii Nepotis non accedere, id vitio eis non vertemus.

temus. Sed barbare, ſed incondite, ſed lutulenter fluere, ſed ſolœciſmis plerumque ſcatere, atque ſingulis propemodum paginis turpiſſimos in errores eos impingere non miti animo tolerabimus. Sed hujusmodi miſeros chartarum conſpurcatores ad Orbilios, ut puerorum ferula plectantur, amandabimus. Aliud eſt, Auditores, purum ac ſimplex, & vere eccleſiaſticum dicendi genus; & ſacræ Scripturæ authoritatibus, congrue & ſuo loco poſitis, veluti ſale optimo inſpergere; & veterum Patrum ſententiis ad rem facientibus, quæ legentium animos ad virtutis amorem inflamment, ſcite tamquam ſtellulis quibusdam illuminare & diſtinguere: aliud vero compilatis ſacrorum codicum, ſanctorumque Patrum ſcriniis illorum ſententias ſine judicio corraſas hac illac infarcire, putidosque, ac male ſutos centones condere; ut non optime depictam rerum geſtarum narrationem, ſed muſivum quoddam opus, & texellatum ex variis, pretioſis quidem, ſed peſſime inter ſe cohærentibus, lapillis inepte compingere, & agglutinare. Vellent, fortaſſe rhapſodi iſti interpolatores quorumdam ſanctorum Patrum, Bernardi præſertim, qui hoc in ſtudio palmam ceteris præripuiſſe videtur, aureum ac pium dicendi genus ſpiſſa, ſed concinna ſacrarum Scripturarum temperatione coagmentatum imitari; at quum ad id minime contendere poſſunt, ſanæ Eloquentiæ, rectæque imitationis præcepta ignorantes, cacozeliæ vitio laborant, & ſimiolas ridicule repræſentant. Hæc igitur antequam ad ſcribendum animum advertant, probe intelligant, oportet. Si vero ſecus a natura, atque ab arte comparati ſunt,

ne

ne audeant, quæso, manibus a ferula nondum subductis, enormia exarare volumina librorum, quos quis unquam legat? Unus, vel duo, vel nemo. Nemo profecto, qui sapiat. *Lectio enim*, ut Tullius inquit, *sine delectatione negligitur*. Quum ergo quidquid literis mandatur, id commendari omnium eruditorum lectioni deceat, (quod fieri nequit, neglectis Humaniorum literarum & Eloquentiæ præsidiis,) qui res in Ecclesia gestas, sanctorumque virorum acta accurate, luculenterque consignare literis cupiunt, ii profecto, quam sint necessaria ad id muneris exequendum mitioris literaturæ studia, tandem aliquando cognoscant, ac desipere, nugarique desinant.

At ne diutius vos demorer, Auditores, jam reliquum, supremumque attingamus Eloquentiæ verticem, quo me jamdudum tacita vestra expectatio vocat,& quo tandem aliquando ad exitum vergens mea festinat oratio. Etenim quamquam eos, qui aut rem Theologicam in scholis tractant, aut adversus heterodoxos pro ea decertant, aut res in Ecclesia gestas literis mandant, exquisito & exacto literarum humaniorum atque Eloquentiæ præsidio minime se indigere putent, utut falsum putent, venia quodammodo donari posse arbitremur; illos tamen omnino fugit ratio, qua erroris sui defensionem suscipiant, qui sacri oratoris munus, hisce studiis neglectis, cumulate se consequi posse confidunt. Non negamus profecto, Auditores, tam arduum, tam sublime, divinumque munus, quod Prophetarum, Apostolorumque munus est, quod in Ecclesia tunc recte perficitur, quum in serendis virtutibus,

bus, atque in evellendis ab audientium animis, pravis, si quæ altius hæserint, vitiorum radicibus, summa cum utilitate versatur; simplici quandoque ac nudo verbi Dei sono, intus sonante veritate, quæ humanæ artis adminiculis nullo modo est alligata & dignius & fructuosius ab viris vere Apostolicis ac divinitus illustratis fuisse tractatum. *Spiritus enim ubi vult spirat & vocem ejus audimus. sermo vero Dei efficax & omni gladio ancipiti penetrantior* & mentes illuminat & animos pervadit; atque triumphatis affectibus, arcana quadam, potentique delectatione & ducit quo vult, & unde vult deducit perduelles ac refractarias hominum voluntates. Atque utinam omnes, qui ad id muneris assumuntur, in sublimi illa ac cælesti æternæ sapientiæ schola, mirabili hac via divinus ille præceptor erudiret! Utinam sanctitate morum, pietatis studio, ac precandi fervore cælestem sibi semper in dicendo derivarent divini verbi efficacitatem sacri ac Christiani oratores! Merito ac jure humana eloquentia prorsus obmutesceret, ac divini eloquii triumphos tacita admiraretur & coleret! Nihilominus, quoniam Dei Optimi Maximi providentia humanis ut plurimum adminiculis rerum naturæ congruentibus nos recte uti constituit, jam qui a Deo vocati sunt, (id enim tamquam hujus ministerii fundamentum semper præjactum volumus) ea sibi adsciscant oportet, quæ ad perficiendum optimum in hoc sacro dicendi genere oratorem perquam necessaria sunt. Horum numero probæ, pudicæ, grandis, masculæque præcepta ponimus Eloquentiæ. In quam sane sententiam & regulæ & exempla, a

ſanctis Eccleſiæ Patribus tradita. nos maxime ducunt. Quid enim, ut de ceteris ſileam, toto de doctrina Chriſtiana libro quarto contendit magnus Aurelius Auguſtinus? Nil profecto aliud, niſi rectiſſimis caſtæ Eloquentiæ præceptis ſacros oratores imbuere; ut inde pateat quam falſus ſit Anonymus ille, alias de Auguſtino bene meritus, qui in præfatione Gallicæ interpretationi ſermonum ſancti Doctoris affixa, omnem omnino Eloquentiæ artem, Auguſtini authoritate a ſacris oratoribus arcendam eſſe opinatur: cujus falſæ opinionis radices forti brachio excutit more ſuo doctiſſimus alter Anonymus, editis de hac controverſia ſolidiſſimis animadverſionibus, ita ut non niſi rationis expertibus errorem ſuum abſurdæ ſententiæ defenſor incutere poſſit. Legant qui volunt laudati Anonymi libellum: legant Franciſci Panigarolæ Aſtenſis Epiſcopi quæſtiones, quas eccleſiaſticas vocavit vir eloquentiſſimus, & libro de ſacro Oratore inſtituendo præmiſit. In iis profecto invenient, qui legerint, quidquid deſiderari poſſit, ut Eloquentiæ artificium in ſacro oratore neceſſarium defendatur. Namque illi etiam, qui contra ſtare videntur, quum non niſi eloquenter Eloquentiæ cauſſæ adverſentur, hujus florentiſſimæ artis neceſſitatem adſtruunt, tantum abeſt, ut deſtruant. Et tandem neſcio, an eloquentius quiſpiam cauſam Eloquentiæ defendere poſſit, ac divus Hieronymus facit eo ipſo loco, quo ad Damaſum ſcribens, ab interpretationibus ſacrarum Scripturarum illam conatur eripere. ſic enim rationem ſuam conficit: *ſed de Scripturis diſputantem non decet Ariſtotelis argumenta conquirere, nec ex flumine Tul-*

Tulliane eloquentiæ ducendus est rivulus: nec aures Quintiliani flosculis & scholari declamatione mulcendæ. Pedestris & quotidianæ similis, & nullam lucubrationem redolens oratio necessaria est, quæ rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet; non quæ verborum compositione frondescat. Sint alii diserti, laudentur, ut volunt, & inflatis buccis spumantia verba trutinent; mihi sufficit loqui, ut intelligar, ut de Scripturis loquens & disputans, Scripturarum imiter simplicitatem. Hactenus ille: quibus sane eloquentissimis verbis non omnem oppido Eloquentiæ artem repudiat, sed, aut ego fallor, rectum in exponendis sacris Scripturis in didactico, aut catechistico dicendi genere, simplicioris Eloquentiæ usum terminis suis præfinit: nimis artificiosum dicendi genus, ac rerum tractandarum naturæ minime accommodatum, & affectate conquisitum, quo nullum majus in sacro oratore vitium, sanctus Doctor exibilat. Paræneticum vero dicendi genus omnibus Eloquentiæ nervis recte constitui docuit vel exemplo suo ipse Hieronymus. Restat igitur, ut Eloquentiæ usum teneamus, abusum reprobemus: quo fit, ut necessario addiscenda esse a sacris oratoribus Eloquentiæ præcepta nemo sanus inficias iverit. Usus autem sublimis, castæque Eloquentiæ ille erit, quem vel in sacrarum literarum Scriptoribus invenit, & laudavit Augustinus: *nam eos habere quidem*, inquit, *at non ostentare Eloquentiam; quæ talis, tantaque est, ut nemo eorum, qui Eloquentiæ ornamentis inflantur, qui linguam suam, sacrorum Scriptorum linguæ, non magnitudine, sed*

tumore præponunt ; aut ſapientius, aut eloquentius unquam dixerit.

Igitur hæ firmæ, rat æque leges ſint apud Chriſtianos oratores. Emineat in ſacris eorum orationibus grandis Eloquentia, ſed quæ oſtentationem fugiat, & divinæ ſapientiæ indolem ſapiat: habeat quandoque inaffectatam quandam verborum atque ornamentorum negligentiam; quam in politico ſublimi dicendi genere commendat etiam Longinus; ne matronæ gravitas in comptulam adoleſcentulæ venuſtatem degeneret. Singula loco ſuo ſcite diſponat, ut divini verbi caſtimoniam redoleant; ut res ſacras non plus juſto exornet, nec laciniis infarciat alienis. Sua a divinis teſtimoniis argumenta deducat, ac Patrum ſententiis illuſtret. Vera dicat, non vana. Profanas & vocum, & rerum novitates evitet: non verborum ſtrepitu blateret, ſed forti quadam, ac dulci ſuavitate ſe in audientium animos inſinuet: non luxuriet in folia, ſed matureſcat in fructus. Nunquam in ſumma a recta ratione deviet, perpetuamque ſibi comitem copulet uberrimam ac robuſtiſſimam ſacrarum Scripturarum & ſanæ Theologiæ doctrinam; ut ſecundum illud Reginæ Eloquentiæ edictum, quod a Tullio mutuatus eſt Aguſtinus, *ita dicat, ut doceat, ut delectet, ut flectat, ut vincat.* O præclaræ, ſanctiſſimæque leges, quas & natura ipſa, & recta ratio condiderunt! His profecto legibus finitam ac comprehenſam ad explicandas populis noſtræ religionis veritates, ad corrigendos corrupti ſæculi mores, ſancti Eccleſiæ Patres, ac probi rerum ſanctiſſimarum tractatores Eloquentiam in ſapientiæ conſortium admi-

admiſerunt. Inde nata eſt illa eloquentiſſimorum Patrum divina facundia, quæ omnibus diſciplinis egregie inſtructa, ad ſacri oratoris munus acceſſit, quæque ſumptis a profanis Scriptoribus, ſummo judicio ac prudentia, præſidiis caſte uti atque appoſite ſumma cum audientium, tum dicentium utilitate conſuevit. At proh dolor, ut hæc ſublimiſſima, ſanctiſſimaque Eloquentia per hæc noſtra tempora ſtetit & obmutuit! Quam indigna homine chriſtiano, quam male reſpondens rerum divinarum majeſtati, non jam dicam facundia, ſed inſipiens quædam loquacitas ſubſecuta eſt. Hæc ſiquidem levia ac frivola paſſim tractat argumenta. Putidiſſimas argutiolas, ineptiſſimas verborum antitheſes, fædiſſima metaphorarum portenta, declamatorias dicendi formulas unice amat & avidiſſime conſectatur. In floſculos peſſime olentes, ac in laxas fabularum lacinias, petulantiſſimi oris volubilitate contortas tota quanta eſt ſe diffundit. Non ad animos conciliandos movendoſque ſolidis rationibus atque affectibus æque efferveſcentibus inſudat, ſed lenociniis illita aurium ſtudet voluptati. Bone Deus! quis unquam ſine ſtomacho audire poterit tot, tantaſque hiſtoriarum, ut plurimum apocrypharum, ac fabularum farragines in ſacras orationes tam intemperanter invectas; ut vix, ac ne vix quidem, inter Herculis, Jovis, Mercurii, Veneris, Adonidis ſpurciſſima nomina, venerandum nomen Jeſu diſtinguere liceat aliquando? Quis ſine indignatione tulerit, ut ſacerdotes divinæ legis antiſtites hiſtrioniam agant, & de noſtræ Religionis myſteriis, tanquam de ſcena mimice diſſerant? Hominum

num ſcelera adverſus Dei majeſtatem patrata, non forti brachio ipſos excutere,ſed comiter jis adblandiri, ut non lacrymas, ſed riſum moveant, quis æquo animo tulerit?

O facinus multo lictore piandum!
Ipſemet, æterni ſpargit qui ſemina verbi,
Infelix lolium, vacuasque immiſcet ariſtas:
Dum ſtudet argutis reprehendere crimina labris.

At undenam erupit hæc perverſa dicendi, non ratio, ſed inſania? undenam ventoſa iſthæc, & tautologiis hac illac perfluens in ſacris orationibus ſtultiloquentia? Ita eſt, ita eſt, Auditores, ab ſanæ Eloquentiæ ignoratione mala hæc proficiſcuntur. Hujus divinæ facultatis præexercitamentis homines linguæ volubilitate & ingenio alioquin fervido, ſed minime ſubacto prediti, vix, ac ne vix quidem, delibatis, putida locorum communium tractatione ac miſerrimis illis vūlgaribus amplificandi modis, dum falſo putant eloquenter ſcribere, eo deveniunt, ut verboſius inſaniant. Magnum ac profundum veræ Eloquentiæ artificium nullo modo aſſecuti, corticibus hærent, & externis dumtaxat non tam utuntur, quam abutuntur ornamentis. Quæ utinam penitus ignoraſſent ſacræ Eloquentiæ corruptores: non tot, tantaque damna in Eccleſiam intuliſſent. Etenim, Auditores, plus timendum eſt mali a quibusdam ſemiebriis, quam a plene vino ſepultis; hi ſiquidem ſomno penitus opprimuntur, nec aliquid in aliorum perniciem moliuntur; illi contra cum nec ſatis expeditum habeant nec penitus impeditum cognitionis uſum, in eo quaſi rationis ſubobſcuro crepuſculo, ut male agant vident, ut recte, non vident. Itaque ji, qui nul-

nullam Eloquentiæ artis intelligentiam ſunt conſecuti, natura duce loquuntur, ut poſſunt, ſin minus, tacent prudenter: qui vero dimidiatæ, ac falſæ Eloquentiæ compotes facti ſunt, dum ſolidum divinæ facultatis artificium ſe probe tenere putant, ea furunt inſania, ut male loqui nuſquam & nunquam deſinant.

Utinam igitur ſcioli iſti declamatores, qui rerum divinarum ac ſacræ Theologiæ ſcientiam cum rectæ Eloquentiæ laude, ut par eſt, conjungere non poſſunt, vel ſemper tacuiſſent, vel grandia ac fortia ſine ullo elocutionis artificio argumenta tractaſſent! Staret adhuc ſimplex illa dicendi vis cum chriſtianæ pietatis affectu, cum ſanæ rationis ac Theologiæ doctrina conjunctiſſima. Rudis fortaſſe illa eſſet, incomta eſſet, barbara item in verbis eſſet, ſed ſenſa haberet utiliſſimis documentis referta ac divino ſpiritu pleniſſima; quibus illa eſſet & ad vitia extirpanda, & ad ſerendas virtutes paratiſſima. Viverent adhuc bona illa ingenia, quorum, Auguſtino teſte, *inſignis eſt indoles, ut in verbis verum ament, non verba: atque ſeparatis a ſacris orationibus locorum communium nugis, res cum re, ratio cum ratione confligeret*. Non quidem neglecto ſententiarum pondere, verborum dumtaxat inanis ornatus in pretio eſſet. Malle enim Chriſtiani oratores debent potiori jure, quam Cicero, *indiſertam ſapientiam, quam ſtultiam loquacem: ac nullo modo*, ut laudatus Auguſtinus docet, *nobis ſonare debet diſerte quod dicitur inepte*. Sed modo ſatis querelarum adverſus hoſce divini verbi depravatores. Eos fortaſſe, ſi Deus & otium dabunt atrociori ſtilo iterum, ſed nun-

nunquam pro merito satis, confodiemus. Interea qui tanquam in vigilia quadam senatoria stant Christiani gregis Pastores, & Ecclesiæ Antistites hosce indignissimos mimos sacris rostris perpetuo interdicant. Pii vero ac cordati Auditores eo supplicii genere plectant hosce nebulones, quod in eos eloquentissimus, & vere Apostolicus dicendi magister æquo jure constituit: ut nimirum vel nullus eis dicentibus plaudat: vel eos audiat nullus. Nunc ad institutam perfecti oratoris Christiani disciplinam revertamus. Magnum est quoddam opus, Auditores, atque haud sciam, an de humanis operibus longe maximum, sacrum oratorem agere numeris omnibus absolutum. Quippe qui audientium animos aut docere, aut dedocere, aut reprimere, aut incitare debeat; & modo ad vitia fugienda, modo ad sectandas virtutes contorquere. Id autem veris, non fucatis; solidis, non frivolis; grandibus, non puerilibus argumentis efficere, quanti laboris erit, quantæ artis! Oportet igitur in primis, ut & sacrarum Scripturarum loca & sensa probe teneat: ut sanctorum Patrum sententias verset, assidueque volutet quæ de mysteriis nostræ religionis, de vitiis, de virtutibus sana docet Theologia. Hinc suas rationes deducat, hinc deductas confirmet. Oportet insuper, ut disponendorum argumentorum viam, & rerum puris ac electis verbis scite exornandarum artem apprime calleat: ut concinnam figurarum varietatem ad animi motus, affectusque sedandos, excitandosque factam, mira solertia versare sciat: & quod caput est, ita callidus artifex sit, ut artificium ostentet nunquam. Nam recte dicebat ille summus qui-

dem

dem ſacræ elocutionis & grandis Eloquentiæ magiſter, magnæ ſpei adoleſcenti, cui iſte nihil, ſive a natura, ſive a doctrina defuturum aliquando præſentiebat, & quem modo tam egregium præceptorem cumulatius exprimere videmus, deme fili, deme a ſacris orationibus vana, deme ſupervacanea, deme vel pulchra: quæ etſi nitore quodam alliciant, tamen dum nimis anxiam artificis induſtriam detegunt, argumentorum vim quodammodo enervant & infirmant. Meminerint propterea ſacri oratores, ut nunquam ſententiarum pondera ab dictionis involucro ſejungant: ut non ſolo verborum numero, ſed rebus æque & verbis apte diſpoſitis efflorescat & ſobrie redundet oratio. Quæ, ut bene Tullius monet, *niſi ſubeſt res ab oratore percepta & cognita, inanem quandam habet elocutionem, & pene puerilem*. Hæc ſunt, Auditores, veræ ac ſacræ Eloquentiæ caſta ac pudica ornamenta, quæ non niſi ab Eloquentia magiſtra, atque ab eloquentiſſimis doctorum virorum lucubrationibus peti poſſunt.

Legendus itaque eſt aſſidue, ſeduleque volutandus ſacrarum Scripturarum codex: legendi ſanctorum Patrum libri, qui ſenſus divinorum eloquiorum eleganter, nitideque explanant: legendi præcipue inter eos, qui præclarius Eloquentiæ laude floruerunt. His accedat ſubacta præceptorum Eloquentiæ intelligentia. Demetrii Phalerei, Hermogenis, Quintiliani, Tullii præſertim & Ariſtotelis de arte rhetorica inſtitutiones non ſemel volutandæ. Longini vero tractatus de ſublimi genere dicendi, quem variis, doctiſque notis ornatum nitidiſſime edidit Jacobus Tollius, pene memoriter ad-

discendus. Demum, quæ in laudatos Eloquentiæ præceptores exstant doctissimorum virorum, quorum magna nomina apud eruditos, animadversiones, & commentaria non segniter expendenda. Hosce purissimos, limpidissimosque fontes consulere oportet, non rivulos quosdam consectari, nimis aliquando sicce, aliquando vero lutulenter ab jis derivatos. Nec operam suam male locatam sciant hujus divinæ facultatis candidati, si temporis aliquid insumant in legendis jis, quæ tum Ludovicus Granatensis, vir & pietatis & doctrinæ, & sacræ Eloquentiæ fama celeberrimus, tum Valerius Cardinalis, Veronensis Episcopus de Rhetorica, speciatim ecclesiastica scripserunt. Agmen vero claudat, quem semper præ manibus habendum esse prædico, sæpe a me laudatus, sed nunquam pro merito satis, aureus sancti Patris Augustini de Doctrina Christiana liber. Quum vero eadem sit (si argumentum excipias) & sacra oratoria & civilis: atque jisdem præceptis, quæ quidem a natura proficiscuntur, utraque instructa consurgat; non minori diligentia animum referre liceat ad legendos quum Græcorum, tum latinorum præcipuos oratores, qui in civilis Eloquentiæ palæstra palmam ceteris eripuerunt. Quapropter sæpe numero ante oculos obversentur & maximus inter Græcos oratores Demosthenes; & ejus inter latinos æmulator Tullius; duo scilicet totius Eloquentiæ omnium doctorum virorum suffragio facile Principes: quorum ab imitatione etsi tantum absumus, ut ne admirari quidem, aut satis intelligere illorum Eloquentiam possimus; non parum tamen ab illorum assidua lectione, sacra hæc nostra dicendi ratio, quæ sublimiorem habet subjectam mate-

materiam; non parum inquam, ſed plurimum, quo ad explicandi modum,percipiat adjumenti. Habent enim in his duobus ſacri oratores, qui grande præſertim dicendi genus tractant, hujus magnificæ dictionis exempla, quæ fruſtra alibi quæras, ſingularia atque omni ex parte perfecta. Quos ſi efficere poterunt, ut imitatione effingant, veterum Eccleſiæ Patrum & Græcorum, & Latinorum beatiſſimam facundiam prope eſt ut effingant.

Nam ſi quis a natura ita comparatus ſit,ut in ſacris orationibus conſcribendis ſtrictam ac conciſam dicendi formam, nervoſeque vibratam amet, præſto illi erit fortis ac fervens Demoſthenis character,grande hujuſce imitationis exemplar: *eſt enim Demoſthenes* (ut acute Longinus obſervat) *prærupta ſublimitate ſtrictior,& conciſior; at cum vi, celeritate, robore, vehementia animi denique,cuncta inflammet ſimul ac abripiat, illum procelloſo cuidam turbini, vel fulmini recte comparaveris*. Quod ſi fuſum, ac circumductum dicendi genus arridet, omnia ſublimi quadam majeſtate,prout libuerit, verſans, atque undique triumphans, ecce tibi quamplurima magnificæ hujus notæ ac granditer copioſæ illuſtria ſpecimina ubertim Tulliana ſuppeditabit oratio: *eſt enim Cicero* (quod fuit incorruptum acutiſſimi inter Græcos critici judicium) *magis fuſus, quam Demoſthenes, utpote qui, veluti longe lateque ſerpens flamma, cunctaque depaſcens, & poſt multos gyros atque ambages in ſe ſemper revoluta,quum copioſum habet ignem, tum qui perſeveret,partitisque vicibus nunc hanc,nunc illam materiæ partem corripiens, non ante ceſſet, quam cuncta abſumpſerit, ſeque ipſe expleverit, atque ſatiaverit*. Hos ita-

itaque tota mente, omnique animi contentione intueri oportet, Auditores, atque eorum virtutes ſedula imitatione complecti. Horum quamdiu apud oratores ſacros manſerit imitatio, tamdiu ſublime dicendi genus vixerit. Et ſane Tullianum iſtud ac Demoſtheneum dicendi artificium, mira prudentia & chriſtiana pietate atque doctrina temperatum poſt tot, tantasque corruptæ Eloquentiæ vices, ſanctorum Patrum exemplo viri docti ac probi per hæc noſtra tempora in Eccleſiam revocarunt: quos inter Hieronymus Mautinus Narnienſis vulgo appellatus, & æque præſtantiſſimus alter a Recineto dictus, duo Franciſcanæ familiæ, quæ Cappuccinorum dicitur, clariſſima lumina, apud Senatum Apoſtolicum ſacras orationes olim habentes tam feliciter, tam luculenter ſublimem divinamque Eloquentiam tractarunt, ut veterum oratorum in dicendo gloriam dictione æquaverint, argumento ſuperaverint. Paulus vero Segnerus Societatis Jeſu Presbyter, vir vere Apoſtolicus, cujus laudes nulla unquam ventura ætas conticeſcet, intermiſſam illam popularem, ſed gravi cum majeſtate conjunctam dicendi vim veterum Patrum priſcorumque oratorum, apud Italos præſertim ſæculi vitio penitus extinctam, horum imitatione poſtliminio revocavit. Ipſe enim divina providentia ſervatus ad hujus divinæ facultatis corruptelas tandem aliquando eliminandas, ſacram popularem Eloquentiam priſtinæ ſuæ dignitati reſtituit. Huic ergo divinæ Eloquentiæ magno ſtatori ac vindici aras ponat univerſa oratorum ſacrorum Reſpublica. ſiquidem ejus dictio pura, dilucida, venuſta, non fucata, non affectata, rerum majeſtati in omnibus probe ſervit, ac omnium

omnium auribus miro artificio, ſed prudenter latenti accommodata. Sententiæ vero graves, propriæ, loco, tempori aptatæ: non pueriles, non vulgares, non turgidæ, non putidis argutiolis illigatæ. Profunda argumentorum inventio, atque a natura prôfluens eorumdem tractatio; mirifica vero collocatio, ac diſpoſitio ſcitiſſima, figurarum concinna varietate ita circumducta, ut gradatim ſemper creſcat, & in anguſtum redigat auditorem. Stilus maſculus, ſemper ſui ſimilis, quamquam jucunda varietate diſtinctus: numeroſus inſuper quantum materia ſubjecta patitur. Noverat enim optime divinus orator quinam numerus ad res ſacras faceret, quippe qui ab Auguſtino didicerat: *cavendum eſſe ne divinis, gravibusque ſententiis dum additur numerus, pondus detrahatur.* Propterea non anxie nimis exquiſitum verborum ordinem curat. *Minutum enim eſt*, ut Demetrius inquit, *quidquid exquiſitum eſt* : & minuta ſectari ſacrum oratorem grandia loquentem minime decet. Sed ad Paulum Segnerum redeamus, ab ejus enim laudibus divelli minime poſſum. In explicandis rebus Theologicis, ut caute ſalebras vitat, ut ſumma facilitate decurrit vir doctus ac prudens; ut in ſimilibus aptandis fœcundiſſimi ingenii ſolertia vere triumphat; ut perpetuo regnat in ejus dictione veritatis amor, qui benevolos ſibi, atque ad amplectendas virtutes, vitiaque fugienda, dociles reddit auditores! Præſtat in ſumma fideliter quod in proœmio ſacrarum orationum ſibi, veluti legem religioſe ſervandam, conſtituerat; Chriſtianum ſcilicet atque utile ſemper proponit argumentum, utile vero & ad mores informandos factum, idque omnibus omnino artis oratoriæ,
ſan-

ſanctorum Patrum, divinarumque Scripturarum præſidiis probat invicte. Hunc ego magiſtrum ab ineunta ætate perpetuo colere, ejusque ſacras orationes exercitationis gratia ſæpius memoriæ mandatas pro concione recitare conſuevi. Hunc veluti ſingularem viæ ducem adoleſcentibus ad ſacram Eloquentiam properantibus anteponere ſoleo; jis tamen, in quibus non tam altas egere radices perverſæ quorumdam opiniones. Etenim cum hujusmodi hominibus,peſſima conſuetudine obduratis operam & oleum me perdidiſſe magno animi mærore expertus ſum.Nuperrime bilem mihi ab imis præcordiis excitavit ſciolus quidam orator, cui neſcio quid humilis ac pedeſtris Pauli Segneri ſtilus intolerabili errore ſapiebat. Dicebat enim illum longe minus valere ingenio, atque Eloquentia, quam alii bene multi ſacri oratores, quorum nomina pudet referre. Neſciebat enim imprudens floridum inter & turgidum, maculoſum inter & nitidum ſublimemque ſtilum diſtinguere. Quamobrem fruſtra in ejus aurem ſæpius oggerere conatus ſum auream Quintiliani ſententiam: *quisque ingenio minus valet, hoc ſe magis attollere & dilatare conatur: & ſtatura breves in digitos eriguntur: & plura infirmi minantur: nam & tumidos & corruptos & tinnulos, & quocumque alio cacozeliæ genere peccantes, certum habeo non virium, ſed infirmitatis vitio laborare.* Hæc Fabius: quibus monitis nihilo minus ille melior factus abundantem ſonantibus verbis, tumidisque ſententiis Eloquentiam vitioſiſſimam, ſublimem ac grandem appellabat. Faxit Deus, ut ad bonam mentem redeant, & meliora conſilia capiant inſani iſti ſacræ Eloquen-

quentiæ corruptores: ut exitialis hæc pestis ab viris ecclesiasticis tandem aliquando depellatur. Vos autem, qui ad veram sacræ Eloquentiæ laudem contenditis, Adolescentes optimi, agite nunc, quæso, referte animum, sitis ad veritatem, & considerate quæ studia a doctissimis majoribus nostris ad hanc rem sublimissimam, atque sanctissimam probe adipiscendam allata sunt. Hos sequi duces, horum intueri exempla diligenter oportet. Siquidem omnibus humaniorum literarum atque Eloquentiæ præceptis liberaliter imbuti, in sanctorum Patrum, ac celeberrimorum oratorum lectione optime versati, sacri oratoris officium, vobis assignatum a Deo, egregie sustinebitis. Principes bonarum artium Scriptores & doctores sæpissime legite & pervolutate. Horum imitatione, si quid sempiternis mandare monumentis exoptatis, stilum optimum scribendi magistrum longa consuetudine subactum sæpe vertite, ut nil nisi lima politum, atque elaboratum industria hominum memoriæ tradatis: ne unquam laboris impatientes cruda atque indigesta, quæ ad exiguum tempus durant, in medium proferatis; succum enim non habent diuturnum quæ nimis celeriter maturescunt.

Quæ cum ita sint, quis non videt, Auditores, qualis, quantusque sit veræ Eloquentiæ usus in rebus sacris pro dignitate tractandis ac quanta in omnibus sacris disciplinis humaniorum literarum, & Eloquentiæ necessitas? sive enim aliena interpretari ac commentari velint Theologi, sive adversus hæreses aciem instruere, sive scholastico in pulvere adolescentes, quasi in palæstra, exercere, sive res in Ecclesia gestas aut ab aliis scriptas,

inve-

investigare, aut ipsi scribere cogitent; sive demum pro sacris rostris dicere, atque homines a vitiis abducere, ad virtutes vero perducere satagunt, humaniorum literarum atque Eloquentiæ subsidiis se indigere, plane sentiunt, vel qui a consuetudine sensus communis omnino non abhorrent.

Quare muneris nostri partes eas esse video, Auditores, quum mihi, Sanctissimi Domini Nostri CLEMENTIS Undecimi Pontificis maximi beneficentia humaniores literas ex hac summa Romanæ Eloquentiæ arce, docendi provincia demandata sit; ut nimirum adolescentes ingenuos, illos præsertim, qui ad sacra studia se potissimum conferunt, veræ, solidæque Eloquentiæ præceptis erudiam. Eo igitur tota quanta erit nostra collineet industria, ut veterum eloquentissimorum virorum & exempla & præcepta diligenter enodata planius exponam: quorum institutis & imitatione prisca illa copiosa, sublimis, magnifica, ac sanctissima in rebus sacris pertractandis Eloquentia reviviscat.

Quæ si ex animi sententia succedent & magno munere Auditores meos donaverim, & meritas quantum potero, Clementissimo ac benefico Patri grates retulerim: non enim alia suppetit, maximo beneficio respondens gratia, quam optimus ejusdem beneficii usus, eo potissimum tendens, quo illud benefici Principis animus destinavit.

Utinam, quod a Deo Optimo Maximo diu precati sumus, horum temporum acerbitas tandem aliquando finem inveniat, ut initium requiescendi, & animum ad præclara bonarum artium studia referendi nobis concessum

ſum eſſe ſentiamus. Utinam flamma hæc pertinaciſſimi atque atrociſſimi belli ex multis conflata ita reſtinguatur aliquando, ut nulla unqnam ſcintilla compareat. Utinam poſt tot malorum, quæ nos undique perturbant calamitoſiſſimam tempeſtatem, optatæ tranquillitatis aliquando illuceſcat dies! Utinam placidiſſima, ſempiternaque Pax Chriſtianæ Reipublicæ clavum teneat aliquando. Tunc profecto ſummus Eccleſiæ Paſtor CLEMENS Beatiſſimus, quem Deus omnipotens diu ſervet incolumem, uberiora dabit facundia illa ſua ſingulari ac pene divina ſacræ Eloquentiæ documenta. Tunc munificus Princeps literarum ac literatorum amantiſſimus largiori manu dona ſua in artium præſtantiſſimarum ſinum luculenter effundet. Tunc denique Albani ſideris beneficio bonarum artium ſtudia ad ſummam Eloquentiæ gloriam refloreſcent.

FINIS.

67

2 7. 172

